DON IOSEPHI CACHERANI TAURINENSIS EX CLERICIS...

Giuseppe Cacherano,
Giovanni Maria Gabrielli

DON IOSEPHI CACHERANI TAVRINENSIS

Ex Clericis Regularibus Barnabitis Congregationis Sancti Pauli

PROLVSIONES SCHOLASTICÆ IN TRACTATVS THEOLOGICOS

De Deo.	De Beatit.	De Incarnat.
De Trinit.	De Gratia.	De Euchar.
De Angelis.	De Fide.	De Pœnit.



TAVRINI, M.DC.LXXIII.

Ex Typographia Bartholomæi Zapatæ.

Superiorum permissu.

Ampliss. & Admod. Reuer. Patri

PATRI
DON ROMVLO
MARCHELLO

Cleric. Regular. Barnab. Con-
gregationis S. Pauli
PRÆPOSITO GENERALI
Pedemontanam Prouinciam perlustranti

Don Ioseph Cacheranus Eiusdem Prouinciæ Præpositus.

PVderet me plurimùm Scholasticas hasce Prolusiones, rudes scilicet minùs diserti Prolocutoris fœtus, & prima Theologiæ elementa, sistere disertissimo Oratori, Sacro Demosthenì, Sapientissimo Trismegisto; nisi pudorem prohiberet ius inuiolabile obsequij, quo non possum in

Tui occurſum, Pater Ampliſ-
ſime, aut aliquid non deferre,
aut quidquam deferre accep-
tius litterario munuſculo:
Enimuerò dum me pluribus
vbique titulis deuinxiſti, dum
huiuſce Auguſtæ Vrbis ad-
mirationem omnē ex ſugge-
ſtu excitaſti, dum huic Pro-
uinciæ, cui Tui modò acceſ-
ſus priuilegiū impertiris, Tuæ
ſemper propenſioris beneuo-
lentiæ officia contuliſti, præ-
ſtitiſti profectò, vt & mea, &
natalis Soli, & commiſſę mihi
Prouincię conditione cōpel-
lerer ad omnia ſingularis ob-
ſeruantiæ teſtimonia, quę niſi
forent litterarię alicuius elu-
cubrationis characteribus cō-
ſignata, parùm aptè litterarū
Amatori, Fautori, & Pro-
pagatori eximio cōſecraren-
tur. Neque hic repetam, Prę-
ſul Ornatiſſime, pro Tui in
litteras amoris argumento,
aut ex ineuntis ætatis veſtigijs

quàm

quàm breui ſtudiorum omniũ ſemitas mira ingenij celeritate confeceris, & perfeceris; aut ex Scholarum palęſtris quàm feliciter docueris, quàm dilucidè explanaueris ſublimiora quęque, & recondita; adeò vt ea Te non attigiſſe tantùm, & delibaſſe, ſed, quamuis nec dum maturiores annos tranſigeres, penetraſſe prorsùs, & hauſiſſe liquidò demonſtraueris. Erant hæc lenia præludia illius litterarũ, ſcientiarumq; encyclopędię, cuius compendiũ quando in conciones effudiſti, illicò Tui deſiderium Italia tota concepit, illicò illuſtriores Vrbes certatim ambierunt audire ex tanto Diuini Verbi Præcone facundiæ elegantiam & vim, eruditionis grauitatem & copiam, ſententiarum affluentiam & pondus, dicendi energiam & robur; quibus fortis & ſuauis, vtile miſces dulci,

increpas & delectas, vrges & mulces, mones & places; excitas, accendis, commoues, persuades; in peruicacibus saxeam cordis duritiem vocis fulmine percutis ac infringis, vnaque simul ingenuas aliorum mentes eloquentię lepore allicis ac inflectis: & hinc delicias suauiores effundens, indè neruos robustiores intēdens, omnium lucraris, omnium moderaris animos, omnes Exterorū plausus, omnes Tuorū amores consequeris, dum non minùs consilio fęcundus, quàm facundus eloquio, non minùs candore morum, & vitæ integritate spectandus, quàm sapientia, & eruditione conspicuus, Congregationis, quam impleueras meritis, completus regimine, prudentia, & pietate ęquè, ac Dignitate pręeminens; Melior ęquè ac maior, omnibus pręes vt omnibus

pro-

profis, omnibus prẹis quò omnes impellis, proprijs geſtis gerenda præſcribens plura exemplo obtines, quàm imperio, & prẹcipiens ſemper optima ſemper adhùc meliora moliris; Litteras, quas in Te ipſo amaueras & ornaueras, Congregatione tota ſolicitè promoues, nec vnquàm Studia pulcriores flores, fructuſque vberiores, quàm Te Auſpice protulerunt. Me verò gregarium licèt ſcholaſtico in agmine militem patrocinio Tuo audacem effeciſti ad palàm explicanda ſacræ Palladis vexilla, ad euulganda ſcilicet quæ diù priuato obſcuroque magiſterio docueram Diuinæ ſcientiæ myſteria; imò hæc ipſa Theologiæ vel rudimenta vel fragmenta, quæ Tui ſplendorem nominis auſpicantur, Tibi maximè debent quòd prodeant; altà enim inſidet mente

quod

quod dum mihi annua ſtudiorum initia proludenti pro facilitate Tua adeſſes , & arrideres tamquàm oculis ſubijcienda commendabas , quæ auribus benignis exceperas; & quia oraculum mihi eſt ac imperium quidquid inſinuas , vel commendas, lęſam auctoritatem in me Tuam ſuſpicarer, niſi ederem quæ Tu edenda indicaſti. Accipe igitur obſeruantiæ, accipe obedientiæ, accipe obſequij monumentū : Accipe quod vt filius Patri , vt Prolocutor Oratori , vt immeritus Prouinciæ præſes totius Congregationis meritiſſimo Præſuli , ſuo inclyto Mecænati Romæ debuit , Taurini defert , deuouetque addictiſſimus vbique & obſequentiſſimus

Don Ioſeph Cacheranus.

LEC-

LECTORI.

PRolusionibus vix fas est proludere, nequeo tamen Te insalutatum præterire; dum præsertim videbor fortasse Personam agere satis extraneam, Theologum scilicet quasi Oratoris more incedentem; quippè, qui asperioribus Scholarum terminis lepore aliquo temperatis Theologicorũ Tractatuum præludia, & compendia redigo in Prolocutiones penè Oratorias: Has quid aut edicere aut edere impulerit Epistola præliminaris insinuat; alterum, vt mei Ordinis legibus in commisso mihi lycæo obtemperarem; alterum, vt Scientissimo meo Præsuli in demandata mihi Prouincia occurrerem, præstiti: Vtrumque fuit obseruantiæ monumentum, sit & obseruantiæ officium Te, Lector Humanissime, enixè deprecari, vt me, vbi Theologi partes parùm impleo, tamquàm Oratorem; vbi minùs Oratoriè loquor, tamquàm Theologum habeas, sicque vtriusque, quam gero, Personæ errores benignus excuses.

DON

DON ROMVLVS MARCHELLVS

Congreg. Cleric. Reg. S. Pauli Præpositus Generalis.

CVM librum, cui titulus est, PROLVSIONES SCHOLASTICÆ IN TRACTATVS THEOLOGICOS, à R.P. D. Iosepho Cacherano nostræ Cōgregationis Præsbytero Professo, & Pedemontanogallicæ Prouinciæ Præposito Prouinciali compositum duo eiusdem Congregationis Eruditi Viri, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, Nos quantum in Nobis est facultatem facimus vt Typis mandetur. In quorum &c. Datum Romæ in Collegio nostro S.S. Blasij & Caroli die XI. Aprilis M. DC. LXXIII.

Don Romulus Marchellus
Præpositus Generalis.

Imprimatur.
Fr. Petrus Martyr Rubeus Vic. Gener. Sancti Officij Taurini.

PRO-

PROLVSIONVM Argumenta.

I.
DE DEO:

Qualem habere Deum deceat.

II.
DE TRINITATE.

Naturæ, Sciptur æ, & Theologiæ paginis impressa Trinitas.

III.
DE ANGELIS.

Momentanea in Cęlo, perennia in Terris Angelorum certamina.

IV.
DE BEATITVDINE.

Naturam excedit, Sub meritum cadit, Morti succedit vera felicitas.

V.
DE GRATIA.

Nobilitatis, Pulcritudinis, & Opulentiæ Simulacrum.

VI.
DE FIDE.
Liber & vagus per Fidei dotes excurſus.
VII.
DE INCARNATIONE.
Omnipotentiæ, Iuſtitiæ, & Miſericordiæ Plauſus.
VIII.
DE EVCHARISTIA.
Fortis & Suauis Diuinus Amor.
IX.
DE POENITENTIA.
Ars accuſandi Arte excuſandi præſtantior.

DE

DE DEO.

VNICVM quamuis Verbum tota Deus æternitate protulerit, vult tamen à rebus creatis verba continuò proferri quàmplurima, quibus vnum proclametur orbe vniuerso Numen; sic laudem eius concinunt Astra matutina, sic Cœli gloriam enarrant, sic opera Firmamentum annunciat: Vbi autem mutæ, & elingues creaturæ loquuntur, piaculum certè fuerit obmutescere hominem, qui tàm vocalis, & tàm loquendi idoneus est, ab eoque solùm taceri Deum, cui maximè innotescit, dicente Tullio *ex tot generibus nullum esse animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei*. Huiusce ego silentij

noxam,& notā euasurus mea potissima studia faciam esse verba de Deo; & vt incunctanter me præbeā tanti promissi implendi solicitum, de Deo prolocutio sit præsens hæc qualiscumque pro annua Theologici Studij instauratione prolusio, quam quia Romano perago in solo placet exordiri cū Romani eloquij Principe: *Nulla gens est neque tàm immansueta, neque tàm fera, quæ non, etsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat*: gens scilicet quæcumque ignara quamuis, & barbara ità naturalis luminis ministerio ad cognoscendam Dei existentiam ducitur, vt gens quælibet etiam eruditior sine magisterio fidei perfectam Dei notitiam non assequatur. Quinimò sæpè fit vt quemadmodum Cynicus olim in frequenti hominum

cœtu ſe non inuenire hominem conquerebatur, ità plures Populi in plurima Deorum turba vero ſe carere Deo verè ingemiſcant, congruèq; ipſis exprobrari poſſit nihil referre, negent nè Deum, an aſſerant?

Deum, Mundum eſſe cenſuerunt Stoici, & inuiſibile ſubiecerunt aſpectui, impartile diuiſioni, indefectibile corruptioni: Deum, mentem fecit igneam Democritus, qui miror quod non addiderit mundum huiuſce ignis, aut fumum eſſe, aut cinerem: Deum, hoc eſt rem omnium quàm maximè neceſſariam, in fortuitam, ac temerè ſibi occurrentiũ atomorum complexionem refudit Epicurus, & ex promiſcua corpuſculorum compage eum conſtituit, qui expers eſt mixturæ, & corporis: Gentilium vulgus

In Marte, Baccho, & Venere exemplaria adorans vitiorum plenissima, sua nedum excusare, sed & commendare vitia putat, dum ea iactare in Superos potest, & Dijs communia prædicare. Sunt qui imberbia, & pubescentia; sunt qui barbata, & canescentia; sunt qui formosa, sunt qui deformia; sunt qui aurea, sunt qui lapidea, sunt qui lignea coluerunt Numina, nihilque fuisse adeò infimæ notæ, & conditionis, quod non potuerit Numinis loco haberi, id certè testantur Phenicum serpenres; Thebanorum mustella; Ægyptiorum allia, & cæpæ, non sine humanæ opprobrio, & diuinæ ludibrio dignitatis. Romana Respublica æquè olim erroris, ac nunc Magistra veritatis, verita ne Deorum congerie obrueretur, si quem-

admodum ipsa toti pręside-
bat orbi, ità ipsi totius orbis
Numina pręsiderent, non eru-
buit ferre legem, quæ Deos
alios coli prohiberet, quàm
quos Patres Conscripti iussis-
sent; adeò superbijt irreligio-
sa Senatus illius auctoritas, vt
sui iuris esse voluerit vel Cœ-
lum quidem, suisque sanctio-
nibus Deos etiam ipsos conti-
neri. Si tot mundos verus
Deus condidisset, quot falsos
Deos desipiens homo credi-
dit, plures haberet orbis
mundos, quàm mundus ho-
mines: si tot protulisset mon-
strosos natura fœtus, quot
ars superstitiosa monstrosas
protulit Deitates, nulla vni-
uersi plaga, aut varietate
monstrorum, aut multiplici-
tate cederet Africæ: vt non
immeritò præmiserim nul-
lam esse gentem, quæ fidei, &
Theologiæ lumine destituta

nouerit, Qualem habere Deum deceat, & quando apud Antiquos ſic viluit Deitas, nil profectò mirum, quod verum Numen ſe abſconditum mallet, ſuamque reſpueret prodere Deitatem in tot falſarum Deitatum vile conſortium. At poſtquàm fidei ſplendor ſuperſtitionis cuiuſcumque fugata caligine ad inacceſſibilem, quam Deus inhabitat lucem theologicæ conſiderationis oculo aperuit aditum, proh quàm facilè innotuit! Quale habeat Religio Numen, qualem creatura Creatorem, qualẽ mundus Deum, & quàm promptum pariter mihi eſt, atque expeditum in præſenti theologica poluſione præfari, Qualem habere Deum deceat.

Decet ſcilicet habere Vnũ, non plures: Vnum vnitate eſſen-

[E]ssentiæ, non ſubſiſtentiæ; Naturæ, non Perſonæ: Vnum vnitate, quæ omni maior eſt numero, quæ ſuppoſitis communis eſt pluribus etiamſi ſingularis: Vnum vnitate, qua in ſe indiuiſus nullum habet Cęſarem, cum quo diuidat imperium, nullum aliud Numen, cum quo diuidat Deitatem, nihil ſibi ſimile, cum quo diuidat perfectionem. Vnus Rex eſt, qui omnia regit; Vnus Dominus eſt qui omnia poſſidet; Vnus Artifex eſt, qui omnia efficit; Vnus Legislator eſt, qui omnia ſtatuit; Vnus Præceptor eſt, qui omnia docet; Vnus omnia eſt, Vnus Deus eſt: nec Deus eſt ſi non vnus dicente Boetio, *omne quod eſt tamdiù manet atque ſubſiſtit, quamdiù eſt vnnm; ſed interit atque diſſoluitur pariter atque vnum eſſe deſiſtit*. Regnum in ſe diuiſum propinquum eſt ruinæ;

næ; an non erit ruinę propinquius diuiſum in ſe Numen? vtpotè in quo diuiſæ voluntates diſcordias parient, diuiſæ mentes gignent ſchiſmata, diuiſæ potentiæ excitabunt diſſidia, diuiſa iura coronas, & ſceptra dimidiabunt. Deitas quæ multitudinem admittat, quæ numerari patiatur, non niſi contemptui eſſe poteſt, illoque excipienda riſu quem Prudentius poeticè, non tamen fictitiè expreſſit.

Sunt duo? Sunt: igitur cur non ſunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello eſt?
An non in populos diuerſa examina Diuûm
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semi-Deis paſſim nullo diſcrimine monſtris?

Verè enim Semi-Deos, & Deorum monſtra conſurgere

re neceſſe eſt, quando Deitas ad libitum in fruſta diuiditur, & in indefinitam Deorum plebem ſoboleſcit; Quando non vnus Deus omnia implet loca, ſed vnus locus plures in ſe capit, & confundit Deos.

Hinc ſi neges adhùc Diuinam Vnitatem, errore errorem cumulando, negabis vna ſimul immenſitatem, qua Deus omnibus in ſpatijs eſt, & non incluſus; omnia extrà ſpatia, & non excluſus; omni extenſione maior, & non extenſus; omni menſura amplior, & non emenſus; omnia circumſcribens, incircumſcriptus; omnia mouens, ſemper immotus. Nobis noua Vbi, noua loca ſuccedunt; Diuinum Vbi vbiquitas eſt, qua omnia Deus loca complectitur, & vltrà omnia in ſe ipſo eſt; quamuis ei Cœlum ſedes ſit non tamen ſine Cœ-

lo ſedis indiguit, ſed ipſe ſemper ſibi fuit & locus & ſedes. Antigonus quam de ſua præſentia opinionẽ tumido conceperat animo deſignaturus dicere conſueuit : *Me præſentem quot comparas ?* Sed quàm multo maiore iure cuilibet creaturæ in dininæ immenſitatis obſequium dici poſſit : Deum præſentem quot comparas? Antimachus de Platonis præſentia gloriabundus erupit aliquando in emphaticum illud elogium : *Plato mihi vnus ad inſtar omnium* ; at quid homo affectet cæterorũ præſentiam, nunquàm adeò ſolus eſſe poteſt, quin Deo præſente fruens valeat altiùs gloriari : Deus mihi vnus ad inſtar omnium; omnium ad inſtar Procerum , omnium ad inſtar Principum , omnium ad inſtar Numinum : *Nec eſt alia Natio tàm grandis quæ habeat*

Deos

Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis; ità enim adeſt vt abeſſe non poſſit; ità adeſt vt ſuo nos intuitu, ſua nos virtute, ſua nos ſubſtantia penetret; noſque ſibi triplici inexiſtentiæ modo quaſi triplici vbique nexu deuinciat.

Huic intimæ inexiſtentiæ, & incircumſcriptæ ad quæcumque loci ſpatia præſentiæ alia non impar reſpondet ad quæcumque ſpatia temporis, qua conſtituitur Deus æternus; nimirum realiter cuicumque imaginariæ durationi, indiuiſibiliter cuicumque diuiſioni, permanenter cuicumq; ſucceſſioni coexiſtens: abſque infantia prima ſemper ætate florens, abſque ſenio antiquitate gaudens. In nobis à momento pendet æternitas, in Deo æternitas momentum eſt; ſed momentum ad omnia futura poſthumū,

ad omnia anteacta primogenitum. Fons est ex quo omnia fluunt tempora, nec decrescit; Oceanus est, in quem eadem omnia refluunt, nec redundat; Centrum est, in quo omnia quiescunt sæcula; Cardo est, circà quem eadem omnia reuoluuntur: Nunc est semper stans; Instans est semper durans; Duratio est semper tota simul; cui si annos, si lustra, si æuum conferas, prætereunt singula atomorum in morem, & fulgure citiùs auolant. Hæc Vnitatis, Immensitatis, Æternitatis admirabilia quantumlibet lineamenta, prima tantùm rudimenta sunt proludentis Qualem habere Deum deceat.

Altiora prolusionis argumenta suppeditat altitudo diuitiarū Sapientiæ, & Scientiæ, qua Deus

Vno mentis cernit in ictu,
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque:
ſine memoria cognitionem ſeruans præteritorum, ſine præſcientia notitiam habens futurorum; illa protrahens, iſta anteuertens, vtraque ſibi ob oculos æquè præſentia conſtituens: Rimatur ſecreta cordium, nec violat ſigillum; arbitrij conſilia permeat, nec lædit libertatem; inferiora quæque, & minutiora conſiderat, nec deprimit Sapientiam aſſuetam res altiſſimas per altiſſimas cauſas attingere. Conditionata abſoluto, variabilia inuariabili, temporalia æterno, contingentia neceſſario actu comprehendit: Continet perfectiſſimæ Artis ideas, æternæ legis ſanctiones, primæ Veritatis regulas, intellectualis cuiuſcumque virtutis prærogatiuas. Mala videt ſed non ap-

probat, falſa cognoſcit, ſed non fallitur, vilia ſcit, ſed non vileſcit. Ex ſui diuiſione in plura membra à propria ſimplicitate, & vnitate diuina ſcientia non diuellitur; ex creati cuiuslibet obiecti ſupercomprehenſione ab obiecti increati comprehenſione minimè retardatur; imò in hac ſola quieſcit, hac ſola beatur, vna ſua luce Diuinus Oculus ſatis paſcitur, vno ſuę eſſentiæ ſpeculo ſpecies diuina ſatis reflectitur; ſcilicet in ſe ſolo. Deus habet intelligibilitatem propriæ intelligentiæ parem, & ſcibilitatem ſuę omniſcientiæ adæquatam.

Omni-ſcientem intellectum ęmulatur omni-uolens appetitus, qui ſicuti inuenit omne ad intrà bonum, ità inueniat licet ad intrà omne ſui amoris illicium; vt tamen inueniat etiam ad extrà quod

amet,

amet, bonitatem ad extrà profundit, vtque in omnigenum amorem erumpat, omnigenam communicat amabilitatem; vt libertatis, ac necessitatis in se iura componat, illam à contingentia, istam à violentia reddit immunem. Deum porrò eum esse scito, cuius libertas actus est non potentia ad opposita; cuius decreta omnem ad extrà caussant, nullam in se habent futuritionem; cuius efficacia non patitur resistentiam, cuius inefficacia nõ redolet inconstantiam. Creatum arbitrium prædeterminat, non vt cogat, sed vt exerceat; non vt in captiuitatem trahat, sed vt ab otio retrahat. Præcipiendo dat vires implendi, quod præcipit, suisque imperijs subleuat magis, quàm subdat libertatem; prohibendo docet vitare, quod prohibet;
per-

permittendo non eſt reus culpæ, quam permittit; conſulendo tribuit ſæpè quod conſulit auxilioque conſilium præuenit; operando nec laborat ipſe, nec labore indiget alieno; optimè ſemper eligit, quamuis non ſemper optima; aliquid deſiderat, quamuis nihil ſperet; omni-uolens eſt æquè, ac omni-ſciens quamuis non velit omnia, quæ ſcit.

Omni-ſciētis intellectus, & omni-uolētis arbitrij inſignia ſi quaſi in vnum coaleſcant, Prouidentia conſurgit, quæ tot habet teſtes, qui ipſam proferũt, quot creaturas, queîs prouidet; & dum ſeruat impios, à quibus contemnitur, curatque incautos, à quibus negligitur, etiam Aduerſariorum ſuffragijs comprobatur, iaculiſque defēditur, quibus impetitur. Deerit ordo vniuerſo; deerit culpis pœna, vir-

virtuti merces, homini ſpes, animæ immortalitas, ſi deſit Prouidentia Deo. Hæc tamquàm Naturæ Magiſtra docet ipſam non otiari, nec otioſum quid pati; ſtudere compendio, nec pluribus vti, vbi pauciora ſufficiunt; res omnes arctiſſimo quaſi amicitiæ vinculo colligare, nec vllum admittere vacuum cuius interiectu talis colligatio diſſoluatur: diſcordia inter ſe elementa ad concordiam erudit; ignis edacitatem retundit, vt aerem ambiat innoxius; aquarum congregationes intrà littora continet, ne abſorbeant aridam; varijs temporum vicibus certas leges, errantibus Aſtris fixas periodos præſcribit: omnibus numerum, pondus, & menſuram conſtituit; adeò vt inexcuſabiles iam prorsùs ſint, & deriſione dumtaxat digni ob fatuitatem,

tem, aut vexatione ob impietatem

Qui in fortunæ iam casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri.

Eadem tamquàm gratiæ ministra sine Personarum acceptione supernaturalia dona inæqualiter diuidit, & seriem prædestinationis fortiter suauiterque disponit: fortiter factam dispositionem ostendit infallibilitas, qua Prædestinati suæ tùm variabilitatis, tùm infirmitatis immemores, gloriam certa lege assequuntur: Suauiter factam suadet connaturalitas, qua voluntate imò, & voluptate prædestinationis ordinẽ exequuntur: Habet quippè prima Causa in suæ sinu Omnipotentiæ varios operandi, varios determinandi modos variæ variarum rerum condi-

ditioni maximè congruos; habet pro causis liberis modum liberum, cui creatum arbitrium suauissimè obsequitur, & cum nostra voluntas melius in Deo se habeat quàm in se ipsa, eadem suauitate à Deo determinatur, qua ipsa se primò determinaret, si primi determinantis prærogatiua gauderet. At vnicum non est Diuinæ Prouidentiæ priuilegium, quod fortis simul sit, & suauis: Non minorem sibi, aut commendationem vindicat, aut admirationem; quod munifica simul sit, & remuneratoria, ex gratia simul, & ex debito: Qualis enim ea maior simul munificentia, & remuneratio? quæ non labore, non certamine, non cursu, non merito præuisis, eligit tamen ad beatitudinem, quæ denarius est impigrè laborantium, quæ corona est legitimè certan-

tantium, quæ brauium est strenuè currentium, quæ præmium est egregiè merentium: Quid ea liberalius, & regium magis? quæ Dei dona facit esse nostra merita; quæ leue tribulationis momentum computat ad gloriæ pondus æternum; quæ peccati detrimentum vertit in pęnitentiæ emolumenta: quæ præmiat vltrà condignum absque prodigalitatis vitio; punit citrà condignum absque vindicatiuæ iustitiæ præiudicio; antè bona opera præuisa prædestinans promouet exercitium beneficentiæ; antè mala opera præuisa non reprobans amouet inclementiæ suspicionem. O miram supernaturalis prouidentiæ œconomiam, nullis vnquàm laudibus satis celebratam, nec dignis alibi lineis expressam, quàm duobus illis in libris

inter ſecretiora Diuinæ Mentis penetralia reconditis, quorum alter liber eſt Vitæ, in quo Prædeſtinatorum pretioſa nomina, & actiones aureas auroque probatiores, Miſericordia delineat: alter liber eſt mortis, in quo catalogum Reproborum, ipſorumq; culpas ſtylo quaſi ferreo ſculpit vltrix Iuſtitia; Illius in capite coruſcant glorioſa Chriſti Domini inſignia; iacet iſtius in limine Luciferi damnata memoria. Vtrumque volumen impreſſum eſt indelebilibus, æterniſque characteribus, quos nulla poteſt ætas eradere, nulla Ars expungere; vtrumque occultis, ac peregrinis ſignatum eſt notis, quas nullus poteſt obtutus diſcernere, nulla peritia dignoſcere extrà ſtatum illum omnium bonorum aggregatione perfectum.

Vbi vnita creato intellectui Increata Substantia, & quidquid in se ipsa continet intelligibili effluuio dispertiens, infirmum humanæ mentis oculum ad Solis ęterni Iubar acie irretorta sustinendum roborat, eademque gloria, qua incautus Scrutator opprimitur, inscrutabilia quæq; Mysteria beatissimè manifestat. Vbi relucet substantiale Deitatis Lumen in accidentali gloriæ Lumine, ex quo licet inæquales vibrāte radios iuxtà inæqualia merita, quilibet tamen splendorē haurit adeò eximium, vt nullius penitùs erroris, nulliusque ignorantiæ interiecta nubecula omnem veritatem proprio, vel statui, vel appetitui congruentem elucidet. Hìc creaturarum in speculo ænigmaticè attingitur Diuina Essentia, mutatis ibi vicibus in Diuinæ Essen-

Essentiæ Speculo creaturæ sine ænigmate conspiciuntur, & quod olim Plato affirmauit *Sublunaris mundi gemmas Cœli esse quisquilias* comprobatur in creaturarum cognitione, quę hìc pretiosa est, ibi vilis; & diadematis, quo beata mens coronatur quisquiliæ potiùs quàm gemmæ, dicente Augustino: *Qui Te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter Te solum beatus*. Neque enim potest creaturarum notitia non vilescere, vbi increata Veritas possidetur, & proprio in fonte degustatur; vbi nec Attributorum infinitas, nec Trinitatis Dignitas, nec Diuinitatis Maiestas occultatur; vbi vnionis extrema maximè distantia copulantis, gratiæ Auctoris peccatoris formam induentis, Singularis Saluatoris salutem vniuersalissimā afferentis prodigia plenè rese-

ſerantur; vbi vis tota intelligendi ampliſſimè expletur, & latiſſimè exceditur.

Deus quippè ſe videndum tribuit, non comprehendendum; cognitione ſibi proportionata, non ſibi commenſurata; eiuſdem cum ſe ipſo ordinis, non eiuſdem cum ſe ipſo perfectionis attingi ſe ſinit. Facilius fuiſſet Aguſtino oceanum exhaurire, & ſemipalmari inferre foſſulæ; faciliùs Heraclito Solem palmo dimetiri, quàm creatæ alicui intelligentiæ, etiam totis Diuinæ Omnipotentiæ conatibus eleuatæ, non ſolum increatę Naturæ, aut Oceanum, aut Solem; ſed nec alicuius increatæ perfectionis, aut riuum, vt ità dicam, aut radium omninò complecti: Minor eſt Diuinæ, vel Omnipotentiæ, vel Miſericordię comprehenſione cuiuslibet vel creaturæ

pro-

producibilis, vel miseriæ sub-leuabilis plena notitia, & Deo comprehendendo impar est quidquid Deo minus est. *Incomprehensibilia sunt iudicia eius*, quanto magis ipse incomprehensibilis? Nullo loco comprehenditur eius immensitas, nullo tempore eius æternitas, nullo amore eius bonitas, quanto magis nulla intellectione eius cognoscibilitas? Desineret infinitus esse, si posset scientis cognitione finiri; desineret perfectissimus esse, si posset incomprehensibilitatis perfectione carere; desineret lucem inhabitare inaccessibilem, si comprehensionis accessum pateretur. Proh quàm bonum est beatis mentibus in obiecti beantis penetratione deficere; Deum non tàm sibi illabentem, quàm se ipsas absorbentem experiri; & quem totum intellectuali acquisi-

tione possident, eumdem totaliter possidendum contemplari?

Proh quàm gloriosum est disertissimis Cęlestis Areopagi Oratoribus in incomprehensi Regis admiratione obmutescere? & aut nullum formare verbum, aut diminutum, & truncum, quo non effentur Deum, sed ipsum ineffabilem balbutiendo magis quàm loquendo fateantur, votaque sua non Ignoto, vt olim Athenienses, sed Inenarrabili, & Innominabili Deo sacrent. Polleant quamuis dono linguarum, omniaque calleant idiomata, non est quod conentur Dei nomen reperire, quandoquidem qui omnia nominat, *& vocat etiam ea quæ non sunt*, omnium nominum significationem exsuperat, adeò vt ipsemet de propria appellatione requisitus

res-

reſpondeat ſibi nomen eſſe *Qui eſt*. Malè ſonat ſi ab humanis ad Diuina transferatur vulgatum illud, *conueniunt rebus nomina ſæpè ſuis*, & potius quod Licinius aliquādò de Scipione Maiore iocosè protulit, *Noli mirari ſi Corona non conuenit, Caput enim magnum eſt*; ſeriò ad rem præſentem accommodaueris dicendo, noli mirari ſi nomen Deo non conuenit, Numen enim magnum eſt; & verò quis nomen ſuppeditet tot ſignificationibus opulētū quod par ſit diuinis prædicatis aptè ſignificandis? Quis nominet perfectiones numero innumeras, duratione æternas, præſentialitate immenſas, bonitate optimas, dignitate ſupremas? Quis nominet Naturam, quæ extra omne genus exiſtens, omne genus perfectionis includit, & omnia cōprehēdit manens

ipſa incomprehenſibilis? Quis nominet Perſonas, in quibus oppoſitio commoda diſtinctionis affert, nec infert diſcordiæ ſemina; diſtinctio tribuit numerum, nec adimit vnitatem; ſolitudinem arcet ſocietas, nec contemptum parit familiaritas? Quis nominet Intellectum qui concipiendo generat? Quis Voluntatem, quæ vnicum actum eliciēdo amorem mutuum producit? Quis tandem aliquid nominet? Vbi quidquid eſt, eſt incomprehenſibilitatis, & ineffabilitatis iure innominabile: Neque tamen abſtinendum propterea eſt à diuinorum nominatione; imò nihil frequentiùs nominandum eſt eo, quod non poteſt ſatis nominari. Et ecce in Deo vno, immēſo, æterno, omni ſciente, omni-uolente, prædeſtinante, beante, incomprehen-

ſibi-

ſibili, ineffablli, innominabili, pro mea tenuitate adumbratum quod proludere contendebam.

Qualem habere Deum deceat.



DE TRINITATE.

NON minùs audaciam timori, quàm fortunam Sapientiæ cedere necesse est, quando iuuet licèt audaces fortuna, Sapientia fortunam ridens complectitur pauidos, gaudetque pleno timoris animo: Initium quippè Sapientiæ timori consecrat Sacrum Vatis omnium Sapiētissimi Oraculum. Hìcque occurrit mihi illicò ex augustissima Triade auspicatissimum Sapientiæ initium faustumque præludium, dum ex eadem paratur solemne timoris auspicium, & insigne formidinis argumentum, cuius Symbolum est quod Seraphim nequeant tribus Diuinis Personis se sistere, quin duabus alis velent, & obtegant

gant Maieſtatem; quod Magi cætera, quæ coram Pharaone Moyſes præſtabat, mirabilia æmulantes in tertio quocumque ſigno deficiant; quod inter Transfigurationis Dominicæ beatiſſima gaudia, dum Trinitatis Myſterium voce cęlitùs delapſa inſonat Apoſtoli contremiſcant: & vt theologica magis, magiſque ad rem noſtram accommodata timoris indicia proludamus. Proceſſio, Notio, Spiratio, Innaſcibilitas, Inſpirabilitas, Circuminſeſſio, aliaque huiuſmodi innominata extrà hanc materiam nomina non nè dum inſueto ſono percutiunt aures, inſueto metu concutiunt mentes? & nè facile, ac paſſim obuium Perſonæ vocabulum metum leniret, monet Auguſtinus *dictum eſſe tres Perſonas, non vt illud diceretur, ſed vt non taceretur*; adcò

vt ſola non tacendi neceſſitate vox aliqua familiarior, & à timoris ſuſpicione remotior accommodari poſſit Diuinæ Triadi. At ſi in ipſa nominũ ſuperficie impreſſa ſunt timoris veſtigia, quis eiuſdem incrementa nó ſentiet in profunditate Myſterij? Dent timendi experimentum miſerrima illa Capita, quibus ſumma pernicies fuit non timuiſſe: Dent Sabelliani, qui Deum trinonymum cenſentes non Trinum ne ipſum quidem Trinitatis nomen ſatis agnouerunt, & in re turpiſſimè errarunt altercãdo de nomine: Dent Priſcillianiſtæ, qui Trinitatis Trinitatem inducentes, addenteſq; Trinitati Perſonarum Trinitatem Eſſentię in Polytheiſmum temerè deflexerunt: Dent Arriani, qui inficiantes Perſonarum conſubſtantialitatem Trinitatem

vel ex Deo, & creatura conflarunt, vel ad vnius Personæ deduxerunt angustias: Dent Ioachimistæ, qui Trinitatem popularem facturi tres Diuinas Personas vnū esse Deum eo solùm modo, quo plures homines vnus sunt populus declamarunt. Vestra hæc, ò Heretici, insipientiæ portenta quid aliud prędicant? quàm timore vacuos; audaciaque redundantes animos; quid aliud dolendo nimis argumento demonstrant? quàm vbi benigno non fruitur timor hospitio dirum pati exilium Sapientiam, cuius ille in difficilioribus præsertim Mysterijs fidus Achates est, & comes indiuisus. Nequè hìc commendo vilem timorem, & languidum, qui inerti otio intelligentiam hebetat; sed nobilem illum, & feruidum, qui charitatis flamma sciendi

ardorem excitat; qui non diffidentis animi vitium eſt, ſed obſequentis officium; non abiecti, iacentiſque ingenij ſocordia, ſed docilis, & verſatilis ad omnia mentis prærogatiua. Huiuſce timoris beneficio, & priuilegio feliciter apparent plura Trinitatis monumenta tùm in Naturæ ampliſſimis tabulis adumbrata, tùm in Sacræ Scripturæ paginis exarata diſtinctiùs: Sunt enim creata natura, & Diuina Scriptura, duo quaſi volumina, quorum in altero diſcurſus, in altero fides plures diſcernit Trinitatis characteres, vel naturalium effectuum, vel ſupernaturalium reuelationum miniſterio deſcriptos: Duplici hoc ex volumine tertium quoddam conſurgit, Theologia ſcilicet, quæ ſupernaturalibus ſuffulta principijs, & naturalibus

in-

innixa ratiocinationibus naturam ſimul, fidemque componit, & quaſi naturæ catenis, vinculiſque diſcurſus intellectum captiuat in fidei obſequium. Hunc auſim dicere Apocalypſeos librum illum ſcriptum intùs, & foris; intùs per principia fidei, vtpotè interiora magis, atque latentia; foris per principia Naturæ, vtpotè apparentia magis, & exteriùs elucentia. Tribus hiſce in libris fas eſt, & facile vario characterum apparatu miris, ſed veris modis deſcriptum lectitare Myſterium Trinitatis timore illo, qui initium Sapientiæ eſt, præeunte, & facem præferente.

Aperio Naturæ librum, cuius omnis pagina, omnis ſcillicet creatura Deo plena eſt, & Trinitatis ſignata veſtigijs. Perlego in primis paginis rerum productionem ex nihilo,

diuiſionem lucis à tenebris, ſeparationem aquarum ab aquis: Perlego terram ſuis libratã ponderibus ſiſtere pendulam, & immotam, nec vllo, aut innatæ grauitatis, aut extraneæ virtutis impulſu diuelli; Iacent, & ſuauiſſima gaudent quiete eius in gremio, tùm maria, tùm flumina in globum coeuntia terraqueum; hunc, vel circumdãt, vel coronãt Regiones aereæ, quas ignea ambit ſphęra ſplẽdido confinio mundum elementarem à cœleſti diuidens, & minuſculis impreſſas characteribus pagellas ſeiungens ab amplioribus illis paginis, in quibus grandioribus, ac clarioribus notis deſcribuntur errãtes ſine errore Planetæ, Cœlo affixa, & per totum Vniuerſum ſparſa ſyderum lumina; velociſſimi motus, oculumque, vel linceum ci-

tatiſſima rapiditate fallentes; quibus tamen teſtudineam etiam tarditatem dimetimur; calidi influxus frigidis, ſicci humidis tēperati; varij Aſtrorum aſpectus, occaſus, ortus, ſtationes; variæ temporum viciſſitudines, dierum, ac noctium mutuæ vices. Nec ad vlteriores, altioreſuè paginas attollo oculos, dum hæc omnia, & ſingula in ſe abundè continent, & contemplanti oſtendunt, imò oſtentant veſtigia Trinitatis: Trinitatis veſtigium eſt, quod omnia inferant ſui Auctoris Potentiam, Sapienriam, Bonitatem, quarum altera Patrem, altera filium, altera Spiritum Sanctum ſpeciali appropriatione demonſtrat: Trinitatis veſtigium eſt, quod quælibet creatura, vt plurimū in operatione verſetur; numquid enim creaturis operantibus Crea-

tor

tor otiabitur? fuisset autem æternitate tota quodammodo otiosus, nisi in Personarum Triadem cōstituentium productionem erupisset: Trinitatis vestigium est, quod mutuo inter se nexu, & innati cuiusdam amoris vinculo res creatæ copulentur; numquid enim creatis rebus se mutuò diligentibus rerum creatarum Auctori amor deerit? deesset autem, si negata Trinitate negaretur Patrem inter, & Filium mutui amoris fœtus Spiritus Sanctus. Neque verò Trinitatis vestigijs tota dumtaxat creaturarum collectio, sed plures etiam singillatim creaturæ decorantur. Vno, eodemque in sydere lux, calor, & motus: Vnus idemque Sol meteorico prodigio in parelijs triplicatus: Vna, eademque aqua in fonte scatens, in amnem effluens,

in

in mare confluens : Vnum, idemque aeris ſpatium tres diuiſum in regiones : Vnus, idemque ſuperlunaris orbis tres diuiſus in Cœlos : Vna, eademque Angelorum Reſpublica tres diuiſa in Hierarchias : Vna, eademque Hierarchia tres diuiſa in Choros, quid aliud ſunt, quàm Trium vnitatis, Trinitatiſuè veſtigia? Et ne extrà hominem quæratur, quod egregiè elucet in homine, mundoque ex grandiore petatur quod maximè eminet in Microcoſmo, ſe ipſum quiſque conſideret, & libenti, volentique animo patiar mendacij notã, quoties non ſe totum inueniet indicijs, & vexillis quaſi Trinitatis longè conſpicuum, ac illuſtrem : Si ad animam cogitatio dirigitur, ecce in vna ſubſtantia trinam formã, rationabilem, ſenſibilem, vegeta-

getabilem: Si ad Corpus, ecce in vna entitate trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem, profunditatem: Si ad affectiones, ecce in vno ſubiecto trinam potentiam, intellectiuam, volitiuam, memoratiuam: Si ad vitales actus, ecce cuiuslibet actus trinam cauſam, animam, potentiam, obiectum. Si denique placeat naturales ſcientias perpendere, ſingulæ occurrunt aliquo inſignitæ veſtigio Trinitatis. Dialectica tribus propoſitionibus ſyllogizat: Phyſica tria principia corporis naturalis enumerat: Metaphyſica trinum in ſuo obiecto tranſcendens, Vnum, Verum, Bonum recenſet: Moralis triplicem actuum ſpeciem, bonam, malam, indifferentem explicat: Matheſis, non ſolum tres angulos, treſque lineas vnum in trian-

gu-

gulum copulat, ſed inſuper in circulo, quæ potiſſima ipſius figura eſt, triadicum quid repræſentat, in circumferentia videlicet, ac centro Primam quodammodo, ac Secundam Perſonam, continet quippè circumferētia in gremio centrum, quaſi Pater in ſinu Filium, in lineis circumferentiam centro iungentibus Tertiam Perſonam, quæ duarum aliarum coniunctio, & nexus eſt. Vnico verbo rem expedio cum Philoſopho *Omne totum in tribus ponimus*; omnia principium, medium, finem; omnia incrementum, conſiſtentiam, decrementum; omnia trinum habent numerum, adeò vt iure in naturæ adagium tranſierit, *Omne trinum perfectum*. Certè vberiora vix poterant Trinitatis veſtigia in Naturæ volumine deſiderari; nec mirum quod his forté

tè veſtigijs inhærens antiquitas ternarium numerum, vt Sacrum veneraretur, eoque maximè vteretur in Sacrificijs; quod his fortè rudimentis edoctus Triſmegiſtus indicauerit Trinitatis Myſterium illis vocibus, *Monas genuit Monadem, & in ſe ipſum reflexit ardorem*; quod his fortè ex ſeminibus pullulauerit Serapidis illud Oraculum.

Principiò Deus eſt: tùm Sermo: & Spiritus iſtis
Additur: æquæua hæc ſunt, & tendentia in vnum.

Age iam ſi in Naturæ libello adeò abundè ſe produnt tanti arcani prima lineamenta; quænam eiuſdem monumenta ex libro Sacræ Scripturæ non erumpent? Hìc inopem me copia facit, & ſicut

—— *Vnda impellitur vndâ,*
Vrgeturque eadem veniens, vrgetque priorem;

Ità

Ità non aliter multiplici auctoritatum se cateruatim vrgentium turbine quasi, & pondere mens iactatur, obruiturque, nisi sacro quodam timore firmata multitudinem veneretur, & pauca ex multis in sacro textu Trinitatis testimonia percurrat, quæ vt, vel in ipso limine suam commendent affluentiam in vna prima pagella geminantur. Primum sacri textus vocabulum, *In principio*, Verbo tribuitur, vt verificetur quod Verbum ipsum prophetico Dauidis ore pronunciat *In Capite libri scriptum est de me: Creauit Deus*, Patri debetur, cui solet potentia appropriari: *Spiritus Dei ferebatur super aquas* ipso etiam vocum sono Spiritum Sanctum exprimit: Sisto in eadem prima pagella *Vidit Deus quod esset bonum, & ait*; ecce in Deo singulari vnitatem Essentiæ:

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram; ecce pluralitatē Personarum; quàm enim insulsè, & incongruè fuisset Deus locutus, si solitarius existens alias Personas in sui operis consortium aduocasset. Sed ne sacra testimonia meo in ore vilescere propemodum videantur, ac sibi congruæ Maiestatis, dignitatisque detrimentum ex organi imbecillitate patiantur; Ea quæso nobilioribus linguis, & grauioribus prolata verbis accipite: Primùm autem Angelorum lingua prosiliat; *Clamant Seraphim alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, & à voce clamātis commota sunt superliminaria cardinum*, vt vel clamoris energiam, vel mysterij maiestatem superliminaria ipsa sensisse videantur. Succedat Angelis Regius Psaltes, & Mysterium con-

concinat Trinitatis, *Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Dixit Dominus Domino meo ſede à* Dextris *meis* Eloquatur hoc idem diuinorum eloquiorum fidus interpres Moyſes, idque teſtetur ſe ex ipſo ore Altiſſimi didiciſſe dum Deum audijt clamantem: *Ego ſum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*. Clarius proferat Oraculum Ioãnes hauſta de Chriſti pectore eructans veritatum fluenta; *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*. Concludat Gentium Doctor inſignibus illis verbis *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, taliſque pluralitatis vnitatem explicet, ac ſingularitatem addendo *Ipſi gloria in ſæcula*. Accerſerem, niſi id Auditorum integerrima pietas, & ſacra eruditio pro-

prohiberet, in Patronos eiuſdem veritatis omnes diuinarum litterarum Interpretes, excitarem pleniſſima Sanctorum Patrum agmina, quorum vel doctum de Cœlo calamum, vel fuſum pro Cœlo ſanguinem; vel in vita Oracula, vel in morte Miracula, nulla non Prouincia inhoſpita, quamuis & longinqua ſuſpexit.

Euolutis Naturæ, & Scripturæ libris ad Theologicum, quem ratiocinatio ſimul, & reuelatio delineant, admoueo mentem, proluſionemq; deduco; & Myſterium, cuius Natura ſignauit veſtigia, Scripturaque exarauit teſtimonia, in Theologia clariùs, pleniùſque deſcriptum exhibeo. Vt omnia ſapiant Triadem, diuidit Theologicus liber doctrinam de Triade tres in partes; quarum in prima

ea,

ea, quæ ſunt Diuinis Perſonis communia, in ſecunda ea, quæ ſingularum Perſonarum ſunt propria, in tertia ea, quæ ſunt Perſonas conſequentia perpendit. In ijs, quæ ſunt Perſonis communia, mirum, quàm benè appareat idemtitas Suppoſitorum in eſſentia cum diſtinctione eorumdem ab inuicem, nec violetur regula dialectica idemtificans inter ſe, quæ ſunt eadem in tertio: Quàm benè enumerentur quatuor relationes, nec inducatur rerum realiter diſtinctarum quaternitas: Quàm benè cohæreat cum numeri imparitate omnimoda æqualitas; cum Perſonarum Trinitate proceſſionum dualitas. Hiſce verò in proceſſionibus quid non licet intueri? Hìc eſſentia in aſeitate conſiſtens abalietatis eſt radix, & Perſona procedens

ſuo

ſuo eſt coæqualis, ac coæterna Principio; Hìc conceptio generationem non præcedit, & generatio mente, non ventre conſummatur; Hìc exercetur inauditus loquendi modus, qûi totus in intellectione perficitur, & inſueta dicendi vis, quæ ipſa dictione producit Perſonam, cui dictio fit. Mirari iam deſino, quod noſter ſermo in Sacramentis operatorius ſit, quando etiã ab æterno tàm benè operatorius ſermo fuit: Quod in vniuerſi creatione Deus dixerit, & facta ſint, quando etiam quod genitum eſt, non factum, ex eo quod Deus dixerit perfectum eſt. Abſit hinc illud *loquere, vt te videam*, quandoquidem vnicum, quod Deus loquitur, verbum *nec oculus vidit, nec auris audiuit:* Abſit hìc cum Salomone decernere *tempus tacendi*, quandoquidem,

quod

quod profertur Verbum ęternum eſt: Abſit huic Verbo inſcribere, *Volat irreparabile*, quandoquidem permanens prorsùs, fixum, firmumque ſubſiſtit. Neque diuinæ pelagus infinitatis hoc infinito licèt Verbo totum exhauritur, haud tanto effęta eſt fœtu diuina fęcunditas: Ne voluntas intellectui cedat quantũ terminum iſte dicendo producit, tantum illa producit diligendo, dum in Patre, & Filio fęcunda inter vtrumque conſtituit vitalem impulſum, communem halitũ, mutuum ardorem, ſubſtãtialem Amoris nexum Spiritum Sanctum. De hoc Amore ne proferas, quod de Amore humano decantatur,

Non benè conueniunt, nec in vna
ſede morantur
Maieſtas, & Amor.

Quinimò Diuinus Amor ipſa

Diuina Maiestas est, & minùs dignè se Diuinæ Personæ diligerent, nisi se propria diligerent Maiestate: In duabus Personis duplicem Amorem ne quęras, esset Amor vterq; diminutus si duplex, & vbi vno omnia dicuntur Verbo, vno omnia diligi Amore necesse est: Deleas hinc epigraphem illam, *Donec potiatur amato*, non potest amato non potiri Diuinus Amor, qui ipsam sibi amati naturam vendicat, vt omnia eiusdem bona inuiolabili naturæ iure possideat. Non minùs saporis habent, & iucunditatis ea, quę pertinent ad singulas Personas, in quibus si attigero quęnam in ipsis Personarum nominibus contineantur insignia, satis indicauero quid latere possit in rebus importatis per nomina. In prima Persona eminet præ cęteris nomen Patris,

ex

ex quo omnis Paternitas in Cœlo, & in terra nominatur; cuius fęcunditas in facundia consistit, cuius Filius adultus nascitur, & nec ætate crescit, nec Sapientia: *Si gloria est Patris Filius Sapiens*, gloriosiorem excogitet Patrem quisquis excogitare poterit Filium Sapientiorem. Patris nomine vniuersalius est, non nobilius nomen Principij, quod fontalem quamdam, ac vniuersalissimam, cùm ad intrà, tùm ad extrà virtutis actiuę perfectionem significat, & cum ab alio principio Patrem esse nõ sinat, ipsum non puro nominantis arbitrio, sed proprio rei nominatę merito primam Personam esse conuincit. In secunda Persona Verbi, & Imaginis nomina omnem in me admirationem pręoccupant: Verbum quod semel, & semper dicitur, quo singula,

& cuncta dicuntur; quod ſine ſono formatur, cui percipiendo viſio, non auditio admouetur; quod loquentis conceptum non modo, ſed ſubſtantiam, & repręſentat, & continet; eiuſdemque inſuper loquentis, tùm Speculum eſt, tùm Imago. Superbijt Macedo, dum in propria etiã Imagine affectans ſingularitatem vnius Apellis penicillo ſua committebat lineamenta; at cuiuſnam Apellis artem ad ſe ipſum adumbrandum æternus Pater eligeret? debuit idcircò ſupplente artem natura naturalē ſui exprimere Imaginem, viuam Effigiem, Exemplar penè dixerim geminatum, ad prototypi idemtitatem magis quàm aſſimilationem. Hiſce nominibus argumenta admirationis addant tertię Perſonę nomina, Amor ſcilicet, & Donum: De hoc Amo-

Amore existimauerim locutum esse Dionysium, dum *Amor*, inquit, *est circulus bonus de bono in bonum perpetuò reuolutus*; optimus profectò circulus à Patre in Filium, à Filio in Patrem circà idem Diuinę Essentię centrum ab ęterno reuolutus, & in ęternum reuoluendus: De eodem crediderim locutum esse Bernardum dicentem, *Lex Domini charitas est, quæ Trinitatem in Vnitatem quodammodo cohibet*; pręclara Amoris vis omnipotentes valens cohibere Personas, plùs quàm strictissimus nodus ad idemtitatem vsque deuinciens. Increati suprà creatum Amoris eminentiam demirare; si creatus Amor, aut pares inuenit Amantes, aut facit; increatus nulla paritate contentus in idem vnit, in vnum idemtificat: Huiusce sublimē dignitatē, si vel leuiter agno-

uisset Philosophus non vtiq; scripsisset *Iupiter amare non suscipit*, nec alienum fore duxisset, *si quis dixerit Iouem amare*. Absoluat Diuinarum Personarũ nomina omnia, & imposita quasi coronide concludat nomen Doni, imò fontis donorum, ex quo alia omnia tàmquàm perennes riuuli ad irriganda humana corda deriuant; cuius valor, nec sub meritum cadere potest, nec sub pretium; cuius collatio sine vlla alienatione exercetur; cuius possessio sola seruitute à nobis cõparatur: Hoc Dono suam omnem substantiam, suas omnes diuitias Deus elargitur; & tamen nec prodigus est, nec euadit pauperior: Hoc Donum necessaria, non gratiosa emanatione ad intrà procedit, & tamen totius gratię ad extrà origo est. Verùm quia nescit gratia tarda

mo-

molimina, ad extremam ſui partem proluſio præproperet, ad ea ſcilicet, quę Perſonarũ in vnitate eſſentię Trinitatem conſequuntur, vbi occurrunt potiſſimè Notio, Miſſio, Circuminſeſſio. Notio eſt ratio Perſonas Diuinas notificans quamuis vix ipſa innoteſcat; ad quinarium numerum peruenit, quamuis ternario Perſonarum numero reſpondeat. Miſſio fit ad terminum temporalem, manens in ſe ęterna; per ipſam Perſona miſſa à mittente non diſcedit, Perſona mittens Perſonę miſſę non imperat: luce meridiana clariùs apparet, quod *deliciæ Dei ſint eſſe cum Filijs hominum*, quandoquidem ſolemniorē quamlibet alicuius Diuinę Perſonę miſſionem ad hominem fieri humanitatis à Verbo aſſumptio, Diuiniq; Spiritus in Apoſtolos illapſus comprobant.

Circuminſeſſio explicat Diuinas Perſonas ſibi inuicē quodammodo inſidentes. & ne miſſioni, quę vnam Perſonam ab altera quaſi egredientem denotat, opponatur; ſicuti iſta egreſſum ſine ſeparatione, ità illa mutuam, intimamque inexiſtentiam ſine vlla, aut permixtione, aut confuſione ſignificat. Et ecce Auguſtiſſimę Triadis notitiam clariore lumine, illuſtriore apparatu, vberiore doctrina expreſſam theologico in libro, quàm in ſolo, vel naturę, vel ſcripturę volumine. Inſurgant iam hęreticorum agmina, & euomant ore vipereo dogmata venenata, ignea vibrent iacula, eruantque ipſo vel ex erebo aſtus, mendacia, & fraudes: Pręſto ſunt in Theologię libro clypei, quibus huiuſmodi tela infringātur; ſuauiſſima ſanioris do-

ctrinę pharmaca, quibus venenata dogmata depurentur; promptuaria veritatum, quibus astus omnes, mendacia, & fraudes eludantur. Enimuerò Theologia quamuis ænigmaticę scientię fines non pręteregrediatur, ad fugandas hęresum tenebras plùs, quàm meridiana lux est, & dum in inferiori mundo, quem Deus tradidit disputationi mortalium, versamur; nullum aut firmius, aut dulcius habere potest conditio nostra solatium, quàm in theologica disciplina, quę Theologię supernę ęmula nobis audiendū porrigit, quod illa prębet videndum, vt testãtur illiusmet beatę scientię beati Professores, *Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini*.

DE ANGELIS.

PRincipiò cum *Deus terræ fundamenta poneret*, ipſum ex eo iam tempore *laudabant Aſtra matutina, & iubilabant Filij Dei*: Angelici ſcilicet Spiritus, vel tamquàm Aſtra Solem ſuum prænuntiantia, vel tamquàm Filij Parenti optimo obſequentes prima inter creationis exordia in ſui Creatoris laudes eruperunt, & Deo mundi theatrum conſtruēte primum certatim elogium, & quemdam veluti prologum cecinerunt: Hincque mos eſt Aligeris Intelligentijs quolibet in theatro ſub humana ſpecie, aut Prolocutoris, aut Interlocutoris referre perſonam; & vix vlla ſcena peragitur, vbi Angelus aliquis, vel at-

tentionis beneficium conciliãs, vel de Cœlis aduolans, vel prosiliens ex inferis, vel aliter theatrali spectaculo deseruiens non repræsentetur. Aperimus & nos pro ineuntis anni litterarij felicibus auspicijs theologicam scenam, nec incongruum arbitramur præludium Angelis, prologumvè tribuere; dum præsertim occurrit eos non alias Personas agere quàm proprias, non aliam quàm propriam texere historiam, non nisi propria recensere natalia, non nisi propria enarrare certamina. Hìc nempè nobis animus est Angelorum creationem proludere, deindè pugnã, quam inter se, vel in Cœlis pro Diuinæ veneratione Maiestatis, vel in terris pro humanæ defensione infirmitatis exercẽt: Et quidem ipsorum tùm creationem, tùm pugnam in Cœ-

lo, vtpotè rem ſolo duorum inſtantium interuallo peractam proluſio celeriùs excurret, prolixiùs verò pugnam in terris, vtpotè diuturniorem, & non antè poſtremum mundi excidiũ conſummandam.

Cùm multis, tùm eo potiſſimùm nomine creatam virtutem diuina ſuperat, quod illa imperfectis contẽta exordijs ab imperfectioribus ad perfectiora procedat; iſta verò debilis ignara principij à perfectioribus exordiatur, & res primò producens vltimò perficiat. Elucet hoc luculentiſſimè in orbis geneſi, quam à nobiliſſimo opere Deus auſpicatur; Angelus enim, vt præ omnibus creaturis dignitate primus ità nulli creaturæ productione ſecundus, naſcẽti ſtatim mũdo corporeo coęuus eſt; idquę non ob ſolam

ſuæ

ſuæ dignitatis prærogatiuam, verùm etiam ne cæteris rebus ſuo in primordio perfectio aliqua deſideraretur; ne careret Empyreum Incolis, Curia cœleſtis Aulicis, Rex ſupremus Nuntijs; ne deeſſet Vniuerſo creata Intelligētia, quæ nullius corporis grauata pondere illicò ſe tota in primi Intelligentis contemplationē aſſurgeret: Debebatur prætereà primæ Cauſæ, quæ purus eſt Spiritus, purè ſpiritualis effectus; videreturque diuina bonitas ſui ad extrà effuſionem inordinatè, & quaſi per ſaltum præſtitiſſe, ſi ſe corporaliter priùs quàm ſpiritualiter communicaſſet, & corporum ſtructuram præmiſiſſet creationi Spirituum: Sicuti autem temporis antiquitate nulli alij cedit Angelica productio, ità etiam nulli cedit nobilitate loci; natos quippè

ſe

ſe Angeli iactant in Cœlo Empyreo, vt ſuprema creatura in loco ſupremo natalia ſua ſortiretur; vt mentes in prima ſua origine beatitudini proximè à loco beatitudinis non longè diſtarent, & dæmonum culpa ſanctiore in loco patrata euaderet inexcuſabilior, caſuſque altiore ex ſede deterior. Habetis Angelos temporis, & loci priuilegio inſignes, eoſdem accipite naturæ, & gratiæ donis inſigniores. Perpendite intellectū congenitis ſpeciebus opulentum tamquàm tabulam nō inanem, & raſam, ſed varijs latè imaginibus illuſtrem, & characterum omnium præclara deſcriptione cōſpicuā: nec magiſterio indigent, nec diſcurſus miniſterio, vt vel ignorata diſcant, vel à notis ad ignota procedant. Suſpicite voluntatem nulla ſenſitiui

appe-

appetitus oppugnatione vexatam, nō ſubreptitijs præoccupatam actibus, non inconſtantiæ exagitatam fluctibus: Non ſignis ad locutionem, non organis ad motum vtuntur, vnus illis intellectus, & vna voluntas ſatis ſunt ad omnia: Non differunt ſpecie omnes ab inuicem, nec omnes ad inuicem conueniunt, ſed aliquorum hinc diuerſitas aliorum indè conuenientia mirum, quàm valdè conferat ad pulcritudinem Spiritualis Reipublicæ, in qua nimia paritas officeret ſociali conuictui, nimia imparitas minueret familiare conſortium: In Hierarchias, & Choros diuiduntur, reſque corporeas ſicuti excedūt multitudine numeri, ità & plenitudine ordinis. Verùm quantùm præeminet Naturæ Gratia, tantùmdē ijs rebus, quæ hucuſque deli-

ba-

bauimus eminentiora sunt ea, quæ de Angelorum conditione subijcio. Nascuntur Filij adoptionis, creationis & iustificationis iura simul consequentes non priùs viuere incipiunt, quàm sanctè viuere; non priùs naturaliter insitis, quàm liberaliter infusis dotibus insigniuntur; æquè primò in ipsis ardent diuini, & proprij amoris incendia; & quod proprijssimum est Angelorum priuilegium, in ijs gratiæ æqualitas, ac inæqualitas se accommodat æqualitati, ac inæqualitati Naturæ, quasi vel tanta sit Angelicæ Naturæ dignitas, vt esse possit regula gratiæ, vel adeò congrua sit Angelis gratia, vt quodammodo trãseat in Naturam. Porrò creaturam in primo ac vnico instanti tot eximijs loci, & temporis, intellectus, & voluntatis, natu-

ræ,& gratiæ muneribus abundè cumulatam quis non crederet totam ſe ſe in ſui Creatoris amorem effuſuram, & quæcumque poſſet obſequia Conditori tàm benefico ſolicitè præſtituram?

At proh execrabile furentis inſolentiæ portentum! Ipſa conditionis innatæ nobilitas degeneri metamorphoſi vertitur in incitamētum peccati, maximo beneficio retribuitur iniuria grauiſſima, & ſanctioris beneuolentiæ argumenta tranſeunt in materiem iniquioris deſertionis. Ambitioſo auſu Lucifer effertur, tumido ardet æſtu, arma amens capit, ſeditioſum mouet agmen, & fidelibus Angelis, ipſiquemet Regi exercituum bellum intentat: Superbiæ vexillum explicans ſacrilego illo lemmate conſignatum *Similis ero Altiſſimo*,

Prin-

Principem ſe, Ducemque proclamat, cœleſtia gloriabundus ſpatia percurrit, Commilitonibus ſuis primas in Empyreo ſedes decernit, Soliumq; ipſe diuinitatis procaci nimiū faſtu conſcendere parat; nec indiget, quod fabulæ de gigantibus ferunt, montes ſuperimponere montibus, vt moliatur aſcenſum; nefarijs, & proteruè exultantibus ſuæ mentis cogitationibus ſatis, ſuperq; extollitur. Preſumptā celebrat prępropera ambitione victoriam, iam tertiā Stellarum partem proprio diademati inſerit triumphator, & aduerſas quaſcumq; phalanges, vt miſcet, diflatque folia ventus, ſic diſperſurum ſe eſſe ſuperbit: Iam debellatos captiuitati addicit hoſtes, iam dedignatur ſubiectis parcere, iam omnibus, vel leges ſtatuit, vel pęnas infligit. Ridet

inte-

interim tantę temeritatis prę-ruptum, audaxque consilium Diuina Maiestas, & quamuis ferê adhùc operi creationis intenta vltionis partes aggreditur: Alteram Angelorum aciem nondum rebellionis labe temeratam, nondum proditoris sequentem signa in suo firmat obsequio, suo confirmat auxilio, & perduellibus turmis opponit: Pugna hinc sæuissima, ingenti vtrinque certatur numerò, ingenti robore; & ne irriti vibrentur ictus, aut clypeo aliquo retundantur, nudi tàmquàm in lucta præliantur bellatores: Acrior est, grauiorque conflictus, quàm vt possit diutiùs sustineri, subitò proditionis Auctor desperata victoria demittit lacerum superbiæ vexillum, & fortè etiam suis cum Asseclis ad Deum supplex exclamaret

Nul-

Nulla salus bello, Pacem te po-
scimus.

nisi spes eum omnis pacis æquè, ac palmæ defecisset. Pugna igitur magis ac magis efferuescente profligãtur impiæ cohortes, & casu præcipiti aguntur in tartara æternis mancipandæ ergastulis, æternis mactandæ supplicijs: Et hìc obiter dixerim nõ ampliùs conquerẽdum quod militia sit vita hominis super terram, quando in ipsomet Cœlo in atrio supernæ Ierusalem, quæ pacis visio est, Angelorum via militia fuit, in ipsis mundi incunabulis nata est discordia quid mirũ quod ad nostra vsque tempora creuerit! Quid suas homines illacrymantur clades, quibus bello ciuili Pompei, & Cæsaris trecenta millia, bello Punico decies centena millia, vno prælio Catalaunico centum

tum ſexaginta duo millia occiſorum enumerant. Vmbratiles pugnæ iſtæ ſunt, ſtrages iſtæ leuiſſimæ, ſi bello comparentur Angelico, vbi vno, eoque momentaneo certamine tot victi, fuſi, proſtratique recenſentur, quot tota hominum quocumque & belli, & pacis tempore exiſtentiū multitudo ęquare vix poſſit. Apage iam tuis cum turmis infelix Lucifer, teterrimi niger hoſpes carceris, perennis flammarū inexſaturabilium eſca, pęnarumq; inexorabilium iuge ludibrium. Faciliùs reperies cymeria in caligine lucē, gordiano in nodo ſolutionē, cretico in labyrintho exitum, Scyllæ, aut Charybdis in æſtu tranquillitatem, quam vel minimum tuis in miſerijs ſolaminis interuallum: Metire ſi potes, ab Altiſſimo quantum diſtes, quantum differas, cui

te

te proximum, & ſimilem fore prædicaſti: fac ſi potes, vt in te nomen rei conueniat, qui tàm diſſonè denſiſſimas inter tenebras fers lucem in nomine: Te ipſum bea ſi potes, qui in te ipſo beatitudinem affectaſti, & Dei viſionem tantoperè dedignatus eius ſi potes vltioni, ac iræ reſiſte; Dum tui olim Conſortes nunc hoſtes, & debellatores excidium tuum quotquot ſunt rident, dum ſua læti victoria triumphalem Deo gloriam concinunt, dum inclytum illud elogium *Quis vt Deus? Quis vt Deus?* feſtiuum veluti pęana tanto inuicem plauſu cōgeminant, & ventoſam illam tuam, ac iactabundam epigraphem *Similis ero Altiſſimo* tuum in opprobrium vertunt; tuam in contumeliam ouantes repetunt. O te miſerum? Quamdiù illi Diuinis paſti delicijs non

alio

alio potantur torrente quàm voluptatis; quandiù Æterni Solis illustrati fulgoribus nō alio flagrant ardore quàm charitatis; Tu, tuique, proles perperam degeneres, talis iubaris amicos exosi radios perpetuò ingemiscitis tristissima nocte, & cęco igne damnati.

Nihil malos Angelos mutat tanta malorum moles, nihil flectit tàm diri tormenti grauissimum pondus, nihil tàm duræ vltionis diutina percussio frangit: Bella etiamnùm, noua bella meditantur, & dū Triumphatoribus Angelis oppugnandis se se impares sentiunt, imbecilliorem hostem aggressi, vt quam possunt de Diuina Iustitia vindictam sumant, Diuinam Imaginem lacessunt in homine, cuius in perniciem addit inuidia stimulos, suggerit dolos, furorem exacuit, dum ipsum

co-

cogitãt ſuis implēdis ſedibus, ſuis reſarciendis ruinis deſtinatum. Verſipellis aduerſarius ementitam induit colubri formam, dulcibus alloquijs adulatur, & centenis lenocinijs palpat; ſed adulatur, vt perdat, palpat vt mactet. Cur enim futuros ſicut Deos tàm impudenter, fidenterque confirmat, quàm vt à Deo reddat alienos, & à Diuina Filiatione degeneres? cur omni-ſcientiam ſpōdet quàm vt ignorantiæ vulnus infligat? cur promittit aperiendos ad puriorē lucem oculos, quàm vt immittat cæcitatem? cur ſuauem porrigit fructū quàm vt acerbam inferat mortem? Nec mora eſt, blandulis verbis, ampliſque promiſſis credit, cedit, caditque incauta Mulier, opertam vitali cortice lethalem eſcam deglutit vterq; humani generis Parē-

&

& tartarei ſerpentis lue viru-
lenta infectus vterque non-
niſi tartareo poteſt igne pur-
gari. Epinicia poſthàc toto
ſuo agmine canit buccinator
magnificus, inſidias ſibi ſuas
bellè cecidiſſe inſolētiùs exul-
tat, in primo Parente totam
Prolem, in ſingulari certami-
ne vniuerſum hominum ge-
nus ſe viciſſe gratulatur; nec
graue ei eſt cadmea victoria
ſorti æquè miſeræ ſubeſſe Vi-
ctorem, ac Victum, non enim
propria commoda, ſed alie-
na incommoda ad ſuæ glo-
riam victoriæ cōputat, & hu-
manis ſolùm miſerijs inhiat
miſerrimus ipſe: Iactat Diui-
na ſe irrita feciſſe conſilia, &
ad augendas proprias ruinas
traxiſſe Naturam, quam Deus
ad eaſdem reſtaurandas con-
diderat. Execrandis his plauſi-
bus, impijſque gaudijs, quibus
dæmones Deo vltori impu-
D den-

denter inſultant, miſcentur vberes fletus, feruidique gemitus, quibus homines Deo Reparatori vota ſua deferũt. Deplorant iſti proprium patrimonium nimis tenue ad ſatiſdandum pro debito, propriam conditionem nimis vilem ad ſatisfaciendum pro culpa, proprias vires nimis infirmas ad ſatiſpatiendum pro pęna; & implorant liberalem condonationem, benignam veniam, gratioſam remiſſionem; Deum quem Creatorem offenderunt, Saluatorem ſibi eſſe precantur, & dæmones ſemel in Cœlis victos in terris Victores diutiùs non fore cõfidunt. Confuſis hiſce dæmonum, Hominumque, & plauſibus, & gemitibus Diuina ſimul & Iuſtitia & Miſericordia excitantur, illa vt in dæmones vindictam rigidiorem exaſperet, iſta vt in Homines

mines ſuauem commiſeratio-
nem exerceat. Occaſione pec-
cati ad diuinum aſſumitur
homo conſortium, erigitur-
que ex lapſu ad ſtatum ſubli-
miorem; ſicque nequiſſimus
Angelus adorat vel inuitus
Deitatem in homine, Diui-
namque Sapientiam in carne,
& cui Diuinitatem, ac Scien-
tiam boni & mali, fictè frau-
dulenterque promiſit, eum fa-
ctum verè Deum, & increatæ
thronum Sapientiæ contue-
tur. Proh quanta illi labes,
quantumque dedecus, quan-
do qui hominem victor aliàs
tentauerat victus viciſſim ab
homine verbis illis quaſi ful-
mineis *Non tentabis Dominum De-
um tuum* retroagetur in fugam!
Quantæ illi iræ, quanta ſuæ
cladis rabies, quãdo inſidias,
quas in Eua parauerat, altera
felicior Eua deludet, quando
diſruptis faucibus, contritoq;

capite venenum, quod in fœminam ſparſerat, in ſe ipſum conuertet! Quando felix decantabitur hominum culpa, quæ habere meruit Redemptorem, & ſumma peccati infelicitas redundabit in dæmones, in quos nec meritum cadit, nec redemptio! Diſplicet inter deſertores Angelos vltrà verſari, ipſorumque internecionem, & ruinam, inſidias, & ærumnas fuſiùs enarrare. Iaceat infanda eorum memoria obliuionis in antris æternùm emortua, & nos gratiorem præfandi materiē arripientes, bonorum Angelorum conditionem adumbremus & munera.

Hi Beatæ Aulæ perpetui Confeſſores effecti, felicitatis primogeniti, Principes pacis, geſtiētes memorant in triumphos deſiijſſe certamina;

Sic in quieto Nauita

Ri-

Ridet pericla portu:
Sic dulce censet ferreas
Quisquis tulit catenas,
Longo suum percurrere
Ludibrium cachinno.

Amplissimis illis in atrijs miro cum ordine Deo assistunt, quo beantur

Stant Cherubim, stant Seraphim
Passis decenter alis;
Magnaque voce concrepant,
Chordas, Chorosque tentant:
Sanctus per Astra diditur,
Redit per Astra Sanctus!

Complet bonorum Angelorum felicitatem securitas, qua firmissima voluntatis, mentisque rectitudine summo bono inseparabiliter adhærent; quamuis autem de sua beatitate securi non desinunt esse de salute nostra soliciti, imò teste Apostolo *omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* Enimuerò quæ-

 nam

nam in humanæ Reipublicæ commodum non exercet Angelus miniſteria? Vt Deiparæ Virgini prima noſtræ reparationis deferat nuntia, fungitur Legati munere; Vt terreſtris Paradiſi ſeruet delicias vigilat cœleſtis excubitor, & factus etiam gladiator enſem diſtringit igneum; Vt Danieli inter Leones concluſo menſam inſtruat ſe conſtituit Dapiferum, aut potiùs Prophetę Dapiferi innocentem raptorem, agilemque per aera baiulum: Quid plura? Vt Balaam à mala diuertat via ſe præbet etiam iumento viſibilem, imò per os iumenti loquentem; vt cęleſtes influxus moderetur, cęleſtibus ſphęris tamquàm Motor aſſiſtit, eiſque circumuoluendis iugiter occupatur: Quin vt homini ſimilior, ac familiarior euadat, humanam induit ſpeciem, & corporea

non

non reſpuit mole circumdari; Vt omnibus omnia fiat Spiritualis Proteus in omnem ſe transfert formam, omnemq; gerit Perſonam. Rem proferã quæ verſatilem hanc Angelorum in homines beneuolentiam mirum in modum exprimit, ſimulque omnem excedit beneficij metam, ſi attigero accuratiſſimam ipſorum cuſtodiam; qua noſtri, & Pręceſſores, & Pediſſequi; & Duces, & Comites, nobiſcum celeres curſitant, nobiſcum tardiores ambulant, nobiſcum immoti quieſcunt; præferunt facem in tenebris, pericula detegunt in inſidijs, triſtitiam temperant in aduerſis, lætitiã moderantur in proſperis; labentem hominem ſuſtinent, erigunt lapſum, lapſurum pręmonent: noſtris vbique præſto ſunt votis, ſuaſque noſtris affectibus alas impertiunt, vt

auris ōnibus velociores euo-
lent ad cęlestia. In hoc æstuã-
te tàm multis procellis Ocea-
no peritissimi Nautæ à nau-
fragio nos seruãt ad portum;
in hac assidui certaminis are-
na inuicti Athletæ pro nobis,
& nobiscum pugnant ad vi-
ctoriam; in hac omnigenæ in-
firmitatis officina optimi
Medici elixi-pharmaca sup-
peditant ad salutem; in hisce
labyrintheis ambagibus Du-
ctores tutissimi aureo filo nos
manuducunt ad exitum. Non
sic vmbra corpus, non sic ma-
gnes polum, non sic stipula
succinum; sicut nos sublimes
illi Spiritus comitantur, se-
quuntur, complectuntur: vn-
dè suspicari quodammodo
possis corpora nostra gemi-
nam sortita formam, infor-
mantem alteram, alteram as-
sistentem, & iure omninò fa-
teberis cum Hieronymo *ma-*
gnam

gnam esse dignitatem Animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum; fortè etiam existimabis in historiam reduci fabulam illam qua somniauit olim Poesis ad custodiendam Inachi filiam à Iunone destinatum pluribus vigilantem oculis Argum, enimuerò magis adhùc oculatum custodem hominis anima nacta est, & si

Centum luminibus cinctum caput
Argus habebat;

Angelus totus oculis plenus, imò totus oculus est, quia totus est mens, & intelligentia: Quàm benè oculatus qui quæ præsentia, quæ absentia, quæ bona, quæ mala, quæ à fronte, quæ à tergo quæ à lateribus, quæ longè, quæ propè simul circũspicit. Habet adhùc quæ magis mireris Angelicæ Custodiæ beneficium. Enimuerò Angelus beneficus est

etiam nolenti, & neſcit ipſe legem illam quæ beneficium conferri vetat inuito: Amorem exhibet etiam non redamanti, nec approbat regulam illam humani amoris *Ama vt redameris*: ſua præſtat obſequia etiam ingrato, nec metuit hoc ſibi obiurgari *Ingratis ſeruire nefas*, imò huic iurgio libentiſſimè obijcit elogium illud purioris munificentiæ, *liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit*. Deſideras maioris beneficentiæ prodigia? Non ſolùm te cuſtodit, ſed etiam tua: habent Cuſtodes Angelos Vrbes, Prouinciæ, & Regna; habent Cuſtodes Angelos priuatæ etiam domus, domeſticis illis rebus præſidentes, quibus ignara antiquitas Deos Lares, Penateſque præfecit. Tantæ cuſtodiæ præſidio munitum hominem fruſtrà nouis conatibus

an-

antiquus hoſtis impetit; fruſtrà mille adhibet nocendi artes vt Dei Imaginem immaculati Agni ſanguine dealbatam iteratis maculis decoloret, & redemptam copioſo pretio captiuitatem priſtinæ mancipet ſeruituti. Validior eſt bonorum Angelorum ſolertia ad tutelam, & ſalutem, quàm malorum verſutia ad perniciem. Magicis pręſtigijs elementa quæque turbentur, ab imis diuellatur Oceanus ſedibus fixos Diuino Imperio limites propemodū tranſgreſſurus; vehementioribus concutiatur terra motibus quaſi ſuo ab æquilibrio diſceſſura; flammantium copia fulgurū aer totus in igneam velut ſphęram commutatus exardeat; tantis extinguendis incendijs in torrentes Cœli liqueſcant, geminumque ſimul & aquarum, & flammarum

diluuium immineat Vniuerſo; tàm perturbata mundi facies deplorandam rerum omnium cataſtrophem prænunciet, & proximum chaos eſſe præſagiat. Ridet has chimęri, cas ruinas ſecurus orbis ſub bonorum Angelorum cuſtodia. Totis naribus, totis faucibus ſulphureas exerat flammas igniuomus Draco; Gigãtis in ſpeciem centenis brachijs, centenis lacertis ſe pugnaturum oſtentet, quaſi ſuũ habeant tartara etiam Briareum, nedum tricipitem Cerberum, & tricorporem Geryonem; horrifica moueat ſpectra, in nubibus armatas acies, in vndis præferocium monſtrorum agmina, in latiſſimo vniuerſi campo innumeram Bacchantium turmam malignus præſtigiator exhibeat: Vel illicò oppoſitam quaſi ſcenam aperiens totum

ſe fundat in diuitias, in delicias, in illecebras; auri gemmarumque aceruos proferat, ſceptra & coronas ſpondeat, voluptates omnes repræſentet: Nec terretur ſpectris, nec trahitur illicijs, nec pellacijs fallitur homo boni ſe Angeli præſidio, & clientelæ committens. Quid vltrà peruicax Aduerſarius audeat? quid vltrà prouocet Angelos triumphatores? fateatur vel inuitus oculatiſſimam eorum curam, tutelamque potentiſſimã; deſinat iniquè oppugnare quod illi inuictè propugnant; deſinat impetere hoſtiliter quod illi cuſtodiunt amantiſſimè. Ego interim Mortalibus gratulor tàm nobiles Spiritus, & Cuſtodes in via & Conſortes in Patria, quibus vt obſequiũ aliquale repẽderem, eorumq; patrociniũ noſtris ſtudijs impetrarẽ, hęc libẽtiſſimè proludebam.

DE

DE BEATITVDINE.

QVO totius intellectualis Reipublicæ cogitata, conſilia, molimina aſpirāt, eò Auditores, mea hodiè verba collimant; & argumentum cui omnia incumbunt ſtudia, centrum in quod omnia propendent vota, materies circà quam omnes omnium verſantur artes, meta in quam omnia omnium tendunt optata, terminus in quē humani labores deſinunt, ſcopus ad quem rationalium affectuū motus dirigitur, cardo in quo moralium actionum moles reuoluitur; id meæ in præſenti proluſionis cardo, ſcopus, terminus, meta, materies, centrum, argumentum eſt; & quod quiſque latenter vult, patēter proloquor, Bea-

titudinem ſcilicet, cuius vel ipſum nomen attentionis illicium eſt; nullus enim non libenter audit quod ardenter expetit, & ſpontè ebibunt aures, quod corda auidè ſitiunt: Neque veſtram libentis, & vltroneę attentionis beneficentiam ipſo in limine moleſtus fatigabo, beatitudinem inter fucata, falſaque bona prolixa indagine perquirendo, & deſcendendo, aut ad numerorum peritiam cum Pythagora, aut ad doloris carentiam cum Diodoro, aut ad voluptatum affluētiam cum Epicuro; nauſeat animus irriſoria etiam narratione beatitudinem deprimere ad tantam vilitatem, & fruſtrà conatur excitatę nauſeę elixi-pharmacum ſuppeditare aut Ariſtoteles, qui bonis corporis, & fortunæ addit bona animæ, aut Dicomachus qui volup-
tati

tati virtutem ac honeſtatem admiſcet, vt componat felicitatem: Quid ni? afferas licèt ex Varrone octoginta octo ſuprà ducentos beatitudinis modos, auges nauſeam hac inſulſa copia ferculorum, quantùm beatitudini addis numeri, tantùm detrahis pretij, & ex Athanaſio dicente *Multitudo Numinum nullitas Numinum eſt* paucis variatis mutuabo tuæ inſcitię exprobrationem, ſi dixero *Multitudo Beatitudinum nullitas Beatitudinum eſt*: Non poſſum hìc tamen ſacrilegam antiquitatem non arguere inconſequētiæ, quod in tanta beatitudinis copia liberalior adhùc fuerit in Numinum, quàm in beatitudinū numero; dum quæ tria Deorum millia & tercentos Ioues coluit, nec ter mille, nec tercentas ſaltē beatitudines adinuenit: At has quas *narrauerunt*

runt iniqui fabulationes ſub ſpecioſo beatitatis titulo infelicitatem mentientes cum ſuis infelicis damnatæq; memoriæ Auctoribus execratur Theologia, & quæ tota de Deo eſt non niſi Deum beātem enunciat, non niſi in Dei viſione beatitudinem collocat. Quia verò prima facie videntur malè adaptari beatitudini ea, quæ viſioni maximè congruunt; cuiuſmodi ſunt naturæ vires excedere, bonorũ operum merito pretioque comparari, ſolum poſt vltimam vitæ periodum obtineri. Has ipſas conditiones in Dei viſione eximiè relucentes, etiã ad veræ beatitudinis excellētiam apprimè conducere demonſtrabo, arbitratus ſanum fore conſilium beatitudinis, quàm theologico obtutu non niſi à longè contemplari fas eſt, faciliores potiùs ac fa-
mi-

miliariores, quàm nobiliores ſublimioreſque prærogatiuas exponere.

Supernaturalitatem, & ſublimitatem toto Naturæ ordine ſuperiorem ignorauit antiquitas,huius tamen ignorantia noſtra eruditio eſt, & Priſcos Philoſophos naturalium rerum ſcientiſſimos & arcanorum Naturæ accuratiſſimos Scrutatores irritis conatibus beatitudinem indagaſſe luculenter euincit nõ circumſcribi beatitudinẽ naturæ limitibus, nec naturæ viribus elaborari; ſed inanem eſſe beatitatis vmbram omnẽ illam, quam poteſt (ſi quam tamen poteſt) præſtare felicitatem Natura, quæ gratuitis bonis ſpoliata, innatis mutilata, ſolius culpæ patrimonio diues, ſolius pęnæ ex aſſe hæres, robuſtis ſemper aduerſitatibus impetitur licèt infirma,

ma, habuit adultas etiam adhùc adoleſcens ærumnas, eaſdemque habebit vegetas etiã ſeneſcens; intrinſecùs & extrinſecùs oppugnata, concupiſcentiæ irritamentis incitata voluntate, ignorantiæ tenebris obcęcata intelligentia, in eo ſolùm eſt nec miſera nec beata, quod ſuam nec beatitudinem ſatis agnoſcat nec miſeriam: Ecce gemmas quas naturę theſaurus recondit, flores quos naturæ viretum emittit, felicitates quas naturæ theatrum oſtentat. Harum fuere rudimenta felicitatum fraterna cædes quæ tum Orbis tùm Vrbis temerauit primordia, & cunabula cruentauit; aquarum alluuio quæ vniuerſum abſorpſit, & diuinæ vltionis flãmas lethalibus vndis immiſcuit, non extinxit; Incendium quod Pentapolim conſumpſit, & im-

impurum ardore ardorem castigauit; Flagella quę Pharaonem vexarunt & Ægyptum deuaſtarunt adeò, vt Nili fluenta in ſanguinem conuerſa erubuerint Ægyptiacum ſolum alluere; aliaque id genus plurima aut naturæ deprauatæ aut Dei indignati portenta, quæ nullo non tempore tragicum aliquod & luctuoſum in vniuerſi ſcena ſpectaculum repræſentarunt. Quod ſi placeat familiaribus magis, magiſque obuijs argumentis eludere ſpem omnem veræ inter naturæ confinia felicitatis, ſatis ſit intueri rerum omnium naturalium faciem, quæ inconſtans, quæ varia, quæ deficiens; inconſtantia enim boni defectibilis poſſeſſorem ſuum inter ſpem, & metum exagitat; felicitatis amittendæ metus infelicitati præludit, imò ſumma infelicitas eſt

poſſe

posse à felicitate deficere, & deteriores ijs qui altiùs eminent casus imminere: Hinc quantàuis quis naturæ felicitate potiatur vsurpabit tandem vel inuitus illud Boetij

Quid me felicem toties iactastis Amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Non nisi igitur personatas falsa beatitatis specie veras calamitates, non nisi improbo labore comparãdam breuem gloriolam, non nisi ingenti amaritudine respersas dulcedines exiguas natura suppeditat. Et certè quid aliud sonat illud decantatum Horatij? *Nemo sua sorte contentus*, quàm neminẽ perfectè quiescere in ijs quæ sua sunt, in ijs quæ à natura sortitur. Quid aliud est *furtiuas aquas esse dulciores?* quàm alienis bonis hominem beari non proprijs: Quid est

eſt quod *Qui velit ingenio cedere nullus erit?* niſi cuique indita ingenij genijque vis, quam dum nullus vult alijs cedere, vellet quiſq; naturam, quam gerit cum alijs communem, excedere; adeòque impulſu penè innato ſuprà naturam, aſſurgit animus anhelans felicitatem. Parum erat diuinæ munificentiæ deſtinare creaturam rationalem ad bonum, quod poſſet infirma, & fracta natura adipiſci: Regnum Cœlorum vim patitur, non quam natura infert, ſed gratia, & ſolùm ſupernaturali ardore violenti illud rapiunt: Infrà hominem homo deprimitur pondere peccatorum; nec ſatis huiuſce depreſſionis detrimentum compenſaretur, niſi depoſita peccati ſarcina ſuprà hominem homo eleuaretur auxilijs gratiæ, & quantum infrà humanæ conditionis

nis

nis nobilitatem eſt pęna peccatis reſpondens in æterna damnatione; tantumdem ſuprà humanæ conditionis vilitatem foret præmium bonis operibus debitum in æterna ſaluatione.

Et ecce iam aliud attingimus proluſionis membrum; quod ſcilicet beatitudo velut emptitia in bonorum operum pretium cadat, ſitque meritorum præmium, & merces virtutis; quam quidem mercedis ac præmij prærogatiuam magnificè affirmauit Apoſtolus tunc vel maximè quando eã negare viſus eſt: *Non ſunt* inquit *condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, ſunt ſcilicet ſuprà ſe ipſas extollendæ, ſunt ad diuinum transferendæ ordinem, ſunt ad gratiæ & charitatis euehendæ conſortium, vt ad futuræ gloriæ præmium, & mercedem ęqua-

lis meriti, & laboris condigni proportionē ſortiantur; præclara geſta, facinora heroica, illibatus morum candor, aſſiduus virtutum cultus, integerrimus vitæ modus, fama ſanctitatis, extaſes, miracula, non magis ad huiuſce præmij meritum computantur, quàm æris ſonantis, & tinnientis cymbali inanes fragores, niſi amor muſicam docere aſſuetus bonorum operum cōcentui afferat ſuauitatem, niſi gratia addat acceptabilitatē. Præmio omnium maximo debetur nouum omniumq; maximum præmiandi genus, in quo præmiati merita ſint dona præmiantis, Auctor gratię ſe ipſum præbeat in mercedē; atque ità in vnū coeant præmium, donum; gratia, merces; vt cum diſcerni ſatis non poſſit, gratioſè ne Deus tribuat, an retribuat remuneratoriè?

toriè? fatendum liquidò ſit vberrimam prorsùs eſſe & redundantem illam beatitudinem, quæ omnem & mercedis & gratiæ,& præmij & doni perfectionem abſorbet: Quam vtramque conditionē fortè inſinuant ſacra illa verba, *apud Te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen*; fons ſcilicet, ad quem ſiti, & labore fatigati properant, præmium denotat; lumen in lumine diuinitùs dato videndum, donum deſignat: In idem recidit denarij diurni beatitudinem allegoricè ſignificantis parabola, quia enim operarijs in vinea laborantibus retribuitur, merces eſt; quia diuerſa hora conductis & inæquali labore functis idem denarius ſine Perſonarum acceptione rependitur, beneficium eſt: Hinc verò incipiant elati & iactabūdi de beatitudinis cō-

ſecutione ex propriorum merito operum non præſumere, quia donum & beneficium eſt; incipiant pigri & deſides indonantis liberalitate otianter non confidere, quia merces & præmium eſt: Recolant delicati & molles Leonis Auguſti morem gratioſa diplomata regia manu non obſignantis, niſi forent purpureo charactere conſcripta, & incipiant non ægrè ferre, ſi velit Deus ſuæ beneficentię priuilegia, ſuæ gloriæ beneficia purpura auguſtiore rubeſcere, ea ſcilicet quam colorat ſanguis ex lacero in militię agonibus corpore diffluēs: Cuius Diuinæ Legis conſciũ ſe, & ſolicitum optimè exhibuit inuictus ille Chriſti Athleta, qui plurimo vulnere in fidei obſequium ſaucius exprobrauit Tortori irrigatam iniuriam vni ſui corporis parti,

ti, quæ ſola ab inflicto vulnere, effuſoque ſanguine immunis ſupererat, ſuſpicatus non inſigniendum gloriæ beneficio membrum illis notis, quibus gratioſa diplomata conſignantur, non rubeſcens: Sponſus in ſpirituali connubio *Sponſus eſt ſanguinum*, violabitur vulgata nubẽdi regula, *ſi vis nubere nube pari*; niſi anima deſponſanda Sponſa ſit ſanguinis, quem è coniuncto corpore Carnificum furor expreſſerit. Quàm bonum eſt cum Apoſtolo gloriari in tribulationibus etiam extremis, etiam cruentis, dum iſtæ ſecum afferunt characterem illum, quo ſpiritualia cum Deo ſponſalia conſignantur, quo electi conſcribuntur ad gloriam: Nec nouum penitùs eſt à tribulationibus auſpicari glorię titulos, quandoquidem etiam apud Gentiles nullum

nomen habitum fuisse gloriosius eo, quod à maximo omnium discrimine deriuabatur, inter alios plurimos ostendit Cato ille qui Vticensis titulo remansit insignitus ad gloriã ab Vtica Vrbe ipsius pereuntis sanguine cruentata. Desinant iam Epicurei Diuinam Prouidẽtiam tamquàm anum fatidicam impudẽter insimulare diuinumque regimen aut negare aut negligere, & in ipsa Ethnicismi caligine discentes ex Socrate *tunc ritè Rempublicam gubernari cum boni inuitantur præmijs*, gubernium concipiant excellentius diuino, si valent præmium confingere eminentius eo quo Deus bonos inuitat: Desinant inertes torpescere, & discentes ex Cypriano *beatitudinem esse operantium gloriam* eadem, qua ad beatitudinem tendunt animi alacritate, assiduas in opera-

tio-

tiones impigri erumpant: Desinãt pusillanimes leuibus curis detineri, & discentes ex Liuio *nihil nõ aggressuros esse homines si magna conatibus magna præmia proponantur*, magna quæque conentur, dum maxima cuique in Patria præmia proponuntur: Nec generosos ad maxima quæq; conatus aut retardet aut retundat proroganda post vltimam huius vitæ periodum præmij consecutio, quasi posthuma, & sera nimiũ retributio, quæ fuit tertia ex propositis Beatitudini, Visioniq; cõmunibus prerogatiuis.

Non id inquam generosos retardet retundatuè conatus, nequè enim semper lenta beneficia indicia sunt languidæ beneficentiæ, non semper gratiæ celeres dulciores, nec illud Ausonij.

Gratia quæ tarda est ingrata est, gratia namque

Cum fieri properat, gratia grata magis.

adeò eſt inuiolabile, quin aliquandò acceptiores ſint gratiæ tardiores; ſi tamen momentaneum huiuſce vitæ breuiſſimæ interuallum poteſt ad tarditatem computari, aut non citiſſimė tribuitur præmium quod vnico momento diſtat à merito, ipſamq; vnius momēti morulam ęterna duratione compenſat. Beneficentia præmiantis eſt præmiũ elargiri, quando eſt magis profuturum, & bis dat etiam qui ſerò dat, quando mora ſeriùs dantis redundat in vtilitatem, & emolumentum recipientis. Malė ſapiunt edulia etiam ſapidiſſima palato amarulento, luce etiam defęcatiſſima oculus cęcutiens offenditur, Surdaſtris inconcinnė ſonant concentus etiam maximė harmonici: Non aliter

ter ærumnas inter & calamitates, agones inter & dolores malè hoſpitaretur vera felicitas, & beatitudinis præmiũ vileſceret in hac via conceſſum, vbi ex rerum defectibilium conſortio ad deficiendũ propenderet, deliciaſque ſuas præſentis vitæ moleſtijs permiſcendo corrumperet: nouerunt hoc illi ipſi, qui veram beatitatem ignorarunt, nec vllus eſt qui non execretur turpe illud ac ſtolidum *Poſt mortem nulla voluptas*, & vt omittam Ouidium canentem

——— ——— *Ultima ſemper*
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Antè obitum nemo, ſupremaque funera debet.

inſigniore vtar teſtimonio ex Solone, qui Cræſum de propriarum diuitiarum felicitatumque affluentia gloriabundum repreſſit grauitate illius

Sentẽtiæ *Nemo beatus antè mortẽ*: Et verò quomodò eſſe quis poſſit antè mortem beatus, ſi plurimi etiam ex grege Gentilium tuendæ vitæ curam poſtponunt ſtudio beatitudinis comparandæ, mortemque ſubeunt vt beentur. At demus Ethnicos alterius vitæ, aut inſcios, aut immemores, experiri potuiſſe inter huiuſce vitæ diſcrimina ſpeciem aliquam felicitatis, id vtique non poterit non longiſſimè abeſſe à mente Catholicorum, qui ſe in hac vita exules hoſpiteſque deplorant, & ea

Neſcio qua Natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit

cęleſtem patriam anhelantes inter ipſa gaudiorum incitamẽta in querulas, & męſtas Iſraelitici Populi voces erumpunt *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*; nec vllus

eſt

eſt qui cantiones modoſque ſonoros expoſcentibus Patriæ tùm exilium tùm deſiderium in hunc ferè modum deflens non obijciat

Quid vultis Patria procùl à Tellure iacentem
Externo patrios orbe ſonare modos?
Cum ſemel ò ſperata diù tibi Patria reddar,
Tunc ego voce canam, tunc ego mente canam.

Hoc in Patriam pondus res ipſe inſenſibiles ſentiunt; feliciùs enim quieſcit lapis in centro vtcumque tenebricoſo & informi, quàm ſi Pontificia in tiara, regioue in diademate fulgeat, vel in Iouis ſtatuam elaboratus obſequia captet & ſacrificia; amabilius eſt igni ſuſtinere in ſphæra perpetuum ex pabuli carentia ieiunium, & in extremo elementaris orbis confinio exili-

um ac ſolitudinem tolerare, quàm ſi extrà ſphęrā copioſo pingueſcat pabulo, & ſacratiora templa palatiaque auguſtiora in facibus ardeſcens incolat & illuſtret: Nihil ſcilicet igni melius ſua ſphęra, nihil lapidi melius ſuo cētro; nec, ſi vtrique ineſſet capacitas aliqua feliciratis, hanc poſſet aut ignis extrà ſphęrā, aut lapis extrà centrum exquirere, non niſi quia ſphęra igni, centrum lapidi natalis ſoli & patriæ loco eſt: Vndè etiam creaturæ quolibet beatitudinis veſtigio deſtitutæ comprobant extrà beatitudinem eſſe, quicumque extrà Patriam eſt, eodemq; hominem interuallo à beatitudinè abeſſe quo abeſt à Patria. Huiuſce interualli euidens & dilucidū argumētum eſt illa ipſa enigmatica, obſcuraque notitia, quam ſolam poſſumus hìc in

via de beatitudine comparare ſimilem omninò cognitioni, qua quiſque conſueuit res procul & in lōginquo poſitas admirari potiùs quàm contemplari, quid non ſint potiùs quàm quid ſint dignoſcere.

O ſi non longè adeò Beatitudo diſtaret, ò ſi intellectualis oculus aciem ſuam poſſet ipſi propiùs inferre? quàm gratiore quàm opportuniore proloquio attentionis veſtræ beneficium excepiſſem: Miſſis vtique, quas vtcumque attigi, beatitudinis dotibus vos illicò euexiſſem ad altitudinem Dei beantis, ad arcana Diuinæ Naturæ figentis in ſe omnem mentis intuitum, rapientis ad ſe omnem voluntatis impetum, noſtris mentibus æquè ac voluntatibus intimè illabentis, illas illuſtrantis Lumine gloriæ, iſtas inflammantis ardore charitatis,

vtrasque inebriantis torrente voluptatis, immergentis fontibus æternæ vitæ, absorbentis pelago Diuinitatis. Hìc abstractus à sensibus raptusq; in extasim animus suauissima cōsideratione prȩcurreret futuræ rudimenta felicitatis: Præcurreret in Essentiæ speculo sui ipsius ac rerum omniũ exemplaria potiùs quàm imagines repræsentari; In Trinitatis Mysterio cum pluralitate vnitatem, cum distinctione idemtitatem, sine discordia relatiuam oppositionem, sine Naturæ diuortio Personarum emanationẽ cōtineri: Præcurreret in æternitatis mensura res præteritas retrogrado, res futuras præpropero intuitu conspici factas præsentes; in Prouidentiæ æconomia fortiter suauiterque omnia disponi, nimiã variabilitatem fortitudine,

fa-

fatalem necessitatem suauitate dispositionis excludi: Præcurreret in scientiæ thesauris nec pretium addere maximarum creaturarum notitiã nec vilescere cognitionem minimarum; in decretis voluntatis nec inefficaciam arguere volentis imbecillitatem, nec efficaciam inferre vòlito coactionem. O si intellectualis oculus se intimiùs posset ad veram beatitudinem inspiciēdam protrudere! quàm libēti animo festiuoque plausu in huiusce scholastici præludij argumentum selegissem grandiloquum illud oraculum, *Non est alia Natio tàm grandis quæ Deos habeat appropinquantes sibi sicut Deus noster adest Nobis:* adest quippè nobis Deus se ipso nos beans, suam in nos beatitatem largè profundens; & proh quantùm creaturæ abūdat, quæ Deo sufficit beatitudo?

do? Adeſt Deus nobis non ſolùm Diuinæ Naturæ per gratiam, verùm etiam Diuinarū Perſonarum per gloriam cōſortium tribuens; & proh quàm feliciter arcetur incommodum ſolitudinis, vbi ſuam præſtant Diuinæ Perſonæ ſocietatem? Adeſt Deus nobis non ſolùm amicus verùm etiā domeſticus & in domeſticæ familiaritatis argumentum ſe facie ad faciem oſtendit, peniriora nobis aperit ſecreta, quæ non licet homini loqui verbo creato Verbo Increato manifeſtat; & proh quàm facunda ſimul & compendiaria locutio, vbi idem Verbum omnia ſignificat? Adeſt tandem nobis Deus non ſolùm nobiliori & ſpirituali, verùm etiam ignobiliori & materiali hominis parti impertiens gloriam: ex anima ſcilicèt redundant glorioſæ dotes in corpus,

pus, beatę operationes in sensus; illarum priuilegio corporea moles spirituum conditioni non inuidens, claritate totum Solis iubar obtenebrat, agilitate fulmina ventosque præteruolat, subtilitate auras superat, impassibilitate Angelos æmulatur. Istarū beneficio corporeus oculus nulla interualli distantia, nulla medij crassitie præpeditus cęlestium, beatorum, superiorumq; omnium corporum symmetriam, structurā, venustatem eximia delectatione discernit, vnoque intuitu per immensa spatia sine organi offensione vagatur: Auditus concentibus suprà omnem suauitatem iucundissimis, inauditis in sublunari orbe colloquijs, nouisque canticis recreatur; nullum aures pulsat peregrinum idioma, & ità ibi linguarum omnium enco.

comijs Maiestas Diuina laudatur, vt linguarum ipsa diuersitas resonet vnitatē, possitque ad Deum optimo iure transferri quod olim Cæsari dictum est

Vox diuersa sonat Populorum, est vox tamen vna;
Dum verus Patriæ diceris esse Pater.

Nec minoribus reliqui sensus delicijs cumulantur, & vbi viget status bonorum omniū aggregatione perfectus, nihil est quod boni sibi conuenientis possessione, ac fruitione non gaudeat. Hæ animi corporisq; deliciæ in nostrorum studiorum argumentum, oblectamentum, & metam destinantur: In hac ego conquiesco, in hanc refero quod vestris obsequens desiderijs, imò tacitis omnium obsecundans votis proludebam.

DE GRATIA.

Vm ſilente vbique, ac feriante Minerua, autumnales otiosè dies transſigerem, & animus totus quiete auſpicatiſſima perfrueretur; obtulit ſe mihi placidi inter ſoporis inſomnia neſcio quo ingenioſo phantaſiæ aut deliramento, aut documento, inſigne ſimulacrum eius, quam mox refero, conditionis: Vultus viuido ſuffuſus rubore quid virgineum, diadema fronti ſceptrūque dextræ inſidens quid regium, auguſtæ Maieſtas formæ quid diuinum indicabant: Solares radij protendebantur in crines, viæ lacteæ decor & candor in fronte explicabatur & genis, ſcintillantium in morem ſyderum oculi coruſ-

ruſcabant, omnes ridebant in ore gratiæ, omne nobilitatis argumentum relucebat in facie, omne virtutis ſpecimen eminebat in indole: augebant corporis venuſtatem Veſtes argento auroque ſplendidæ & ſpectabiles adeò, vt nihil in ipſis aut ad materiæ pretiũ, aut ad artis portentum deſideraretur: Enitebant in pretioſa veſtium textura illuſtres nonnulli characteres luce gemmiſq; conſpicui, in quos aciem attentiùs figere partim quem vibrabant fulgor, partim qui ligabat animam ſopor prohibuit, ſomniculoſis tamen vtcumque oculis hæc ni fallor perlegi lemmata, *Deliciæ meæ eſſe cum Filijs hominum. Ab æterno ordinata ſum. Omnis gloria eius Filiæ Regis ab intùs*. Vix ſoporem excutiens ab inſomnij ludibrio ad ſeria animum meditamenta traduxeram, quan-

quando aduentante iam tempore pro annua Studiorum instauratione constituto illicò incidi in cogitationem auspicalis prolusionis, qua, vt moris est, litterariæ Alumnos Palęstræ consalutarem, & traderem prima lineamenta materiæ totius anni interuallo discutiendæ: Erat hæc tractatus de Diuina Gratia, facilèque propterea contigit, vt prolusionis de Gratia elucubrandæ meditatio, & residua somniati simulacri imago sibi in penetralibus mentis occurrerent; id ego, somnia quippè nonnihil diuinum redolere ex Antiquorum opinione didiceram, & memineram ex Philosopho *sæpè prænuntiari in somnis principia quædam illorum, quæ posteà vigilantes acturi sumus*, id ego inquam omine optimo euenisse arbitratus, non perperàm me acturum

cre-

credidi, si ex vmbris niterer lucem eruere, si nocturnis ex laruis non tàm illudi nos quandoq; quàm instrui ostenderem, si ex somni otio scholasticarum ducerem curarum initia, & ex imaginario somnij monumēto sacræ de Gratia prolocutionis rudimenta; si nimirum memorati Simulacri prerogatiuas dotesque repeterem, eas in Diuiuam Gratiam translaturus; Verùm quia omnes percurrendo latiùs quàm par est diuagaretur oratio, tres solùm recenseo Nobilitatem, Pulcritudinem, Opulentiam, & si prolusio nō erit omnibus absoluta numeris, saltem insigni hoc in ternario gaudebit numero omnium perfectissimo; eiusque dignitate commendationem sibi aliquam promerebitur.

Quia ius est nobilitatis primam vbique sedem occupare,

primas debeo nobilitatis doti periodos, & dicente Philosopho *Nobile id esse, quod ex bono prodijt genere*, impar illicò euincitur omnis elocutio ad explicandam Gratiæ nobilitatem, æquè ac ad explorandum diuinæ pelagus bonitatis; ex diuino quippè Gratia genere prodijt, est ipsa diuini ordinis, est diuinæ participatio Naturæ, est diuinæ pignus hæreditatis: est diuinorum operum primogenita, suæ seriem propaginis à primo sæculorum initio ad hæc vsque tempora deductam recenset, & vltrà omnia tempora duratione æternitati contermina deducendam gloriatur; recurrat quisquis huiusce veritatis anceps est & ambiguus quà cœlesti, quà terrestri in Paradiso Supremi Opificis prima molimina, inueniet procul dubio siuè Angelicam siuè humanã

in prima infantia ſubſtantiam Gratiæ deſponſatam, imò ſimul cum Gratia natam; nam & minùs ſplēdidè Gratiæ nobilitas illuxiſſet ſi antiquiorum natalium priuilegium alteri ceſſiſſet creaturæ, & præclariore nobilitatis charactere tùm Angelica tùm humana Natura caruiſſent, ſi Gratiæ defuiſſet ornamentum: Quod ſi etiam ex loci cōditione nobilitati decus accedere ſuadet mos ille Antiquorum, quo ignobiles viros conſueuerunt terræ filios nuncupare, ne ad aliquam Gratiæ ignobilitatē computaretur in terris naſci, tota ipſa ſuperterreſtris, Angelicique Intelligentijs ſicuti non poſterior tempore ità nec inferior loco, primam habuit in Cœlis originem, & Deo Patre nata, Empyreo Patria gaudet: Verùm nec ſola generis, nec ſola Natalium,

nec ſola loci prærogatiua Gratiæ commendat nobilitatem; adeò hæc eſt ſplendida, vt nihil in ea ſpecioſum, nihil magnificum, nihil eminens non effulgeſcere facilè comprobet omnium ſenſus, & cõſenſus Sapientum, qui ſuffragio vnanimi firmaque voce ſtabiliunt eam eſſe illuſtriſſimam claritatem generis, cui lux virtutum accedit, cui defęcatiores radios probitas addit, cui nobiliſſimum eſt quod eſt optimum; hinc etenim patet dilucidè nihil poſſe eſſe nobilius Gratia quod eadem melius non ſit; at aliquid Gratia melius quibus ex promptuarijs, quibus ex officinis proferetur? Si Areopagitam conſulas, illud ipſe melius nominat, *quod magis eſt communicatiuum ſui & diffuſiuum*; Gratia autem adeò ſuæ communicationis eſt auida, vt inna-

to appetitu, ne dicam impetu, ſubiectum quærat, cui ſe præbeat. Si Tullium euoluas, illud ipſi melius eſt quod honeſtius; Gratia autem norma eſt & regula honeſtatis, nutat iſta & languet, vbi illa periclitatur & deficit; nec actio vlla inſigniter honeſta conſurgit, quæ ex Gratiæ excitantis ſemine, Gratiæque operantis germine non erumpat. Si Philoſophum adeas, illud tibi ex cõtrariorum lege melius eſſe renunciat, cuius oppoſitum eſt peius, Gratiæ autem oppoſitum peccatum eſt, quod quàm longè malis omnibus peius ſit Angelorum irreparabilis ruina, hominum lapſa natura; copioſa ærumnarum ſeges, perenne pęnarum ſibi ſuccedentium profluuiũ nimis ne dixerim acuta quia ferit, an nimis graui quia premit? voce teſtantur,

O inexplicabiles diuitias bonitatis Gratiæ in Thesauris reconditas! si idem est optimum esse ac nobilissimū quis non tota energia nobilissimā illius bonitatem, optimam illius nobilitatem fateatur & celebret? Maiora proferre nō possum argumenta nobilitatis, affero plura. Affero Charitatis virtutum omnium Reginæ strictam cognationem, aliarumque inferiorum virtutum insigne satellitium: affero bonorum operum præclaram sobolem, & catenatā triumphatamq; vitiorū phalangem; affero indolem generosam, qua repulsæ nescia sordidæ sibi resisti non patitur: affero pulcritudinē quæ amabiliorem, affero opulentiam quæ existimatiorem nobilitatem reddit; at hæc sunt noua prolusionis argumenta non adeò cursim & obiter attingenda.

Neque dũ pulcritudinẽ memoro, ſermonem mihi eſſe ſuſpicemini de fucata pulcritudine, quæ in ſpecioſa quadam colorum temperie, eleganrique partium diſpoſitione conſiſtit, quæ exteriori cõtenta forma internam admittit imò quandoque fouet deformitatem, & ad ſenſibile vitri experimentum comprobata ſenſui tantùm arridet nõ menti. Verùm ad ſublimiorẽ longè, ſpecioſioremque pulcritudinẽ oculos intellectuales attollite; ad eam ſcilicet, quæ tota ſpiritualis, tota cœleſtis, tota diuina eſt; hanc ſummoperè in Gratia eminere id confeſtim probat, quod imago & proles ſummi pulcrì ſit, ſi etenim ex Horatio.

Fortes creantur fortibus,
Eſt in Iuuencis, eſt in equis Patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Pro-

Progenerant Aquilæ Columbam.

Quis ſummo pulcro negare audeat prolem pulcherrimã? faciliùs inuenies affinitatem lucis ad tenebras, niuium ad flammas cognationem, veritatis cum mendacio, ſcientiæ cum errore ſocietatem, quàm in prole diuinitatis Gratia carentiam aliquam eximiæ venuſtatis. Decor ipſa eſt floris perennis, riſus eſt veris perpetui, fulgor eſt aſtri inoccidui; quamuis nigreſcant in Sole maculæ pulcrioribuſque in imaginibus pingantur vmbræ, in Gratiam nulla macula, nulla poteſt vmbra ſubrepere, &

Hanc quiſquis poterit notare lucem
Candidos Phœbi radios negabit.

Candidiſſimi quondam animalculi, & cuiuſdam quaſi animati candoris encomium fuit *malo mori quàm fœdari*, Diuinæ Gratiæ elogiũ eſt, quod

abigi possit at non infici; recusari possit, non inquinari. Apage iam infelix Lucifer purissimam, quàm à Deo accepisti substantiam, superbiæ labe deturpa; & lucem, quam fers in nomine, fumosa Auerni caligine denigra, Gratiam amittes, at denigrare, aut deturpare non poteris. Apage præuaricator miserrime, hominumque progenitor simul & proditor diuinam imaginē ipso cum vitæ spiraculo impressam, chlamydemq; innocentiæ à Gratiæ Auctore cōcessam peccati sorde commacula, tartareique colubri veneno infice, Gratiam amittes, at inficere, aut commaculare non poteris. Apage infecti germinis infirma propago, & perduellis Genitoris peruersa proles effigiem illā fędatā olim, iam verò Christi sanguine dealbatam, pedibus

ad

ad mala quæque procliuibus protere, & noua turpium colluuie criminum contamina, Gratiam amittes; at protere-re aut contaminare non poteris. Imò ipsa in purissimis Empyrei, in quod nihil coinquinatum ingreditur, substantijs conseruata scelestissimi eius osores cum fœditatibus suis Auerni in baratrum acti præcipites amissæ pulcritudinem Gratię iugibus deflebunt lacrymis, quibus tamen nec suas poterunt sordes abstergere, nec flammas vehementissimas temperare. Ego interim dum tota sine macula, tota pulcra es cęlestis Heroina totis meæ admirationis, totis meæ venerationis officijs, tuæ complector candorem puritatis; dum tu expelli potes, non fędari, ne à me expulsam abesse te doleam, Malo mori quàm fędari, & ne pulcritu-

dinem tuam minùs pulcrè vltrà proludam, ſilere malo quàm eloqui.

In cæteris verò tuis inſignibus proluſionem feliciùs proſecuturus emendico tua ex opulẽtia meæ in dicendo egeſtati ſubſidium, tuaſque profero diuitias; diuitias omninò ſuperexcelſas, & eo pretioſiores quo terrenis corporeiſque ſuperiores: iſtæ enim fluunt, labuntur, auolant; quamuis nec riui ſint, nec momenta, nec atomi: captiuant, ſauciant, iugulant; quamuis nec vincula ſint, nec tela, nec laquei: pacatam conſcientiæ tranquillitatem, tranquillam mentis ſerenitatem, ſerenum animi candorem, concitant, perturbant, obnubilant, & tamen nec turbines ſunt, nec procellæ, nec nubila: pręteritæ nihil proficiunt, & ſunt doloris monumenta; pręſentes

tes non ſufficiunt, & ſunt timoris argumenta, futurę adhuc deficiunt, & ſunt laboris pręludia; viuentem hominem cruciant, morientem deſerũt,

Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctumque leues non comitantur opes.

Expende iam beatiorem ſuis in opibus Gratiam, hę quaſi pretia libertatis ab omni vindicant ſeruitute, quaſi immarceſcibiles flores ornant & coronant, quaſi purioris lucis radij illuſtrant & ſerenant: Satietate voluptatẽ afferunt, non faſtidium; vſu incrementa ſuſcipiunt, nõ diſpendium: tenaciter poſſidentur abſque auaritię vitio, nouę veteribus ſuperueniunt abſque ſuperfluitatis nota: ſuperſtitem hominem promouent ad ſalutem, defunctum comitantur ad gloriam, & quot pręiudi-

cijs terreſtres diuitię nos onerant, totidem emolumentis nos cumulant diuitię ſpiritales: nec fuſiùs aut illarum mendacem fucum exprobro, aut iſtarum inſigne decus cōmendo, ne iniuriam & meę & veſtrę irrogem conditioni, qua ſponte ſuſceptę paupertatis callem ingreſſi ſęculi fortunam & faſtum abiecimus, vt Gratię theſauris ditaremur, quos nec pretium cōparat, nec fortuna diſpenſat, cum nullum eſſe poſſit aut pretij ad gratuita, aut fortunę ad diuina commercium; quos non ex terrę effoſſos viſceribus, ſed ex Cœli erutos penetralibus Supremi beneficentia Numinis religioſioribus animis elargitur; Omnia quippè virtutum ornamenta, omnia bonorum operum merita, omnia Spiritus diuini chariſmata, Beatitudinis pigno-

gno-

gnora, Sacramentorum dona, Vnionis hypoſtaticę miracula, diuitię ſunt ex gratię theſauris deriuatę: Hiſce tamen miſſis placet in adoptiua Dei filiatione tamquàm in pretioſiſſimo munere, quod in nos ex Gratia redundat, ipſius Gratię opulentiam admirari: Finge igitur tibi hominem miſeris omnibus miſeriorem, genere natum infimo, patria oriundum inhoſpita, nulla animi, nulla corporis, nulla fortunę, nulla artis, nulla naturę, nulla Gratię, nulla virtutis pręrogatiua conſpicuũ; in quem Cœlum ſęuiat, & creatura omnis armetur: Finge aliundè Principem, cuius dextram ſceptrum ornet, cuius frontē gemmę coronent, cuius corpus purpura veſtiat; cuius theſauri vltrà omne pretium, diuitię vltrà omnem menſuram, dominium vltrà

omnia confinia protēdantur; cui bona ſors arrideat, fauſta ſydera ſplendeant, mundus totus indulgeat; cuius nominis decus, fama, gloria, Maieſtas loca impleat omnia, omniaq; tempora. Hic ſi miſerrimum illum hominem ſibi in Filium adoptiuū aſciſcat, proprięque hæredem nobilitatis, opulentiæ, dignitatis inſtituat; quis huiuſce adoptiuę filiationis priuilegium tamquàm omni maius pretio, omnique pretioſius theſauro admirabundus non ſuſpiciat? Cohibe iam ſi potes vehementiſſimè erumpentem admirationem, dum filiatio, quam tibi ad miraculum & portentum effinxeras, leue veſtigium eſt eius, qua terrę glebam in contumelię vas elaboratā, indignationis prolem malorum omnium ream, dæmonis ſubiectam imperio,

ge-

gehennę addictam incendio, ęterno notatam dedecore, Deus ipſe per Gratię infuſionem adoptat nouam nobis filiationem nouã natiuitatem impertiendo, qua tamquàm recenter geniti infantes ad Deum clamare diſcimus *Abba Pater*, imò Dij euadentes iure Deum Deorum nuncupamus quia teſte Ruperto *Deus eſt Auctor Deorum, dum quos adoptat Deos facit*, & vocat, *Ego dixi Dij eſtis, & Filij excelſi omnes*. Felix propterea, & mirifica nimis adoptio, nullique humanę conferenda; humana etenim in adoptatum non transfert naturam adoptantis, at diuina diuinę nos reddit Naturę conſortes: Humana in naturalis prolis defectum priuilegio legis inducitur, diuina ad naturalis prolis imaginem miniſterio ſupereminentis charitatis efficitur; humana vt plu-

 ri-

rimùm habet naturalem Filium aut renuentem, aut inuitum; diuina Filij naturalis opera vtitur ac beneuola voluntate; ipſemet idcircò adoptiuorum fratrem ſe ſponte proclamat, & qui Vnigenitus eſt non dedignatur eſſe Primogenitus in multis fratribus: Humana denique adoptio in adoptati poteſtate non eſt, ſic verò diuina, in quo D. Gregorius adeò vehementer obſtupuit vt nequiuerit non exclamare *Quid hac poteſtate altius? Quid hac altitudine ſublimius?* Quid altius ea poteſtate, qua ius aquiritur ad Angelicas ſedes, ad cœleſtem hæreditatem, ad diuinum Patrimoniũ? Quid ſublimius ea altitudine, qua tota Superiores Natura ad glorioſum ſtatum euehimur? Vbi

Opta quod eſt pulcherrimum;
Iam poſſident Beati.

Opta

Opta quod est dulcissimum,
Fruuntur hoc Beati.
Quidquid vel ornat Corpora,
Vel mentibus decorum est:
In hos manu largissimâ
Dispensat Auctor Orbis.

Sublimis adeò potestatis coronide perficio Gratiæ opulentiam, pulcritudinem, nobilitatem; & homini gratulor diuitias, queis suæ mendicitati; decus, quo suæ deformitati; splendorem, quo suæ obscuritati facilè consulat.

Verùm mea hæc gratulationis officia grauiter perturbat murmur execrandũ, quo perditissimi nonnulli Gratiæ osores inofficiosis eam verbis excipiunt, turpemq; blasphemiarum caliginem præclaris eius dotibus enitũtur offũdere. Pelagius vt Gratię diuitias imminuat Gratiam facit venalem, dum totum salutis & Gratiæ etiam primæ nego-

tium

tium in humana reijcit merita, adeò vt leuissima naturæ lapsæ infirmæq; operatio tantum habeat ponderis, tantũ roboris, quantum adęquando Diuinæ Gratiæ valori sufficiat: O vili pretio venalem Gratiam si pluris non venditur! O indignam Gratiæ nomine Gratiam si venalis est! Euanescant nigriores in auras hæc scommata, & abeant Pelagij voces in tartara cum Auctore suo æternis ignibus excoquendæ, at numquam satis expurgandæ. Caluinus vt Filiationem Dei adoptiuam, potissimũ scilicet Gratiæ thesaurum, deducat in contemptum, eam facit vacuum nomen, & titulum sine re, dum in extrinseca denominatione, & imputatione iustitiæ Christi, non in inhærentis qualitatis iure ipsam collocat; quasi verò diuinum eloquium asse-

uerans Gratiæ donũ nobis im pertiri *vt Filij Dei nominemur & ſimus*, ſit oſtentationis commentum, non veritatis Oraculum: Obruantur tetriores inter vmbras hæc dogmata, & abeant Caluini voces in tartara cũ Auctore ſuo æternis ignibus excoquendæ, at numquam ſatis expurgandæ. Beza caligãtibus oculis Gratiæ decus, ſplendoremque nõ ſuſtinens, in ipſa comminiſcitur maculas, dum fędo eam connubio ſordibus peccatorum aſſociat, & gratiam Peccatoribus inſidentem ait eſſe lumen quod ab Euangeliſta fulgere in tenebris perhibetur: Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhùc, neque enim peccatorum ſordes gloriam impedient, ſi Gratiam non expellunt: Damnentur denſiores ad tenebras iſta mendacia, & abeant Bezæ voces

in

in tartara cum Auctore ſuo æternis ignibus excoquendæ, at numquàm ſatis expurgandæ. Lutherus Gratiæ nobilitatem profligaturus, eam vel noſtri pediſſequam facit arbitrij, vel quaſi vilem Parcam libertatis ſcindentem ſtamina; dum Gratiæ efficaciam humanæ concordem libertati eſſe non poſſe contendens aſſertores Gratiæ cenſet deſertores arbitrij, & vt homines ſeruet liberos reddit ſacrilegos: Quaſi verò vel nequeat Diuina Omnipotentia liberũ Agens inuiolata libertate ſuis ſubdere imperijs, vel neſciat increata Sapientia fortiter omnia ſuauiterq; diſponens, diſpoſitione forti gratiæ efficaciam, diſpoſitione ſuaui arbitrij indifferentiam ſuſtinere: Perpetuo iaceant abſorpti ſilentio hi errores ſacrilegi, & abeant Lutheri voces

in tartara cum Auctore suo æternis ignibus excoquendæ, at numquàm satis expurgandæ. Eamdem Gratiæ nobilitatem deprimunt alij, dum eam faciunt ad vilissimas, & modicæ ciuscumque bonitatis operationes adeò necessariam, vt nisi Gratiæ accurrãt, & concurrant auxilia, omnes virtutes sint vitia, omnia bona opera sint peccata: O ignobilem, & vilescentem Gratiã, si tamquàm aliquid naturæ vtcumq; infimę magis quàm suprà naturam, ad naturales quaslibet etiam inferioris notæ operationes sine culpa exercendas indispensabili lege requiritur: Abeant huiusmodi voces, abeat cæterorũ omnium in Gratiam conuitiorũ infanda memoria adeò altè sepelienda, vt numquàm possit rediuiua excitari ad offen-

fen-

fendēdam veſtrarum aurium pietatem, ad inficiendam meę dictionis puritatem, ad intentandam ſupernę Gratiæ euerſionem: Enimuerò quamuis inani furant æſtu, & non niſi ſibi ipſis Gratiam euertant impudētiſſimi Gratiæ calumniatores, refugit tamen animus tantæ monſtra temeritatis. Experientur interim ipſi vel inuiti quàm malum ſit fuiſſe in Diuinam Gratiam iniurios, quando eò grauiùs eius carentiam tolerabunt, quò impudētiùs eiuſdem pręſentiam contempſerunt; & hìc quàm iure horum miſerrimam conditionē exprobrarem, niſi præclara Gratię encomia, & pręconia me totum abſorberent; in his totus ſiſto, in his totus conquieſco; ex his & mea & veſtra ſtudia nihil ſibi non felix, nihil non fau-

faustum auspicantur, & ad docendum quippè & ad discendum prȩsto semper erunt Gratiæ auxilia, vbi & quod docetur, & quod discitur Gratia est: Nemo studebit inglorius, vbi vnusquisque studebit pignori & præludio gloriæ: Nemo suis in studijs dolebit de ignorantię vulnere, vbi materies ipsa studiorum medicamen est vulneris: Nemo patietur ex litterario labore tristitiam, vbi fons est ex quo aquæ hauriuntur in gaudio: Suauissimo omnia explicabũtur eloquio, quia semper erit diffusa in labijs Gratia; celeri omnia calamo percurrentur, quia Gratię celeres dulciores: Mens omnis aut tarda aut obliuiosa & obliuionem dediscet & tarditatem; quia & nimis inurbanũ est Gratię obliuisci, & nescit Gratia tarda molimina.

Ne verò aliquod mihi vitium moræ, & tarditatis tribuatur, rem totam illicò expedio, & celeri concludo ſilentio Gratiæ dotes quas proludebam.

DE FIDE.

OBeat licèt in Cœlis Deus Doctoris Maximi & Optimi Magiſtri munus, homines Angeloſque ad ſcientiam beatam erudiēdo, non tamen ſoli cœleſtis Athenęi Confeſſores Diuini Magiſterij priuilegio gaudent, nec ſolum Empyreum Dei docentis archigymnaſium eſt: Quinimò ſublunari in Vniuerſo magiſterium ſuum Deus ingeminat: & duplici ſub lumine, naturę altero, altero fidei, duplicem propemodùm palęſtram inſtituit; in vtraque Dei Diſcipulus & Auditor Theologus eſt; diſcit in lycęo fidei principia diſponere, diſcit in lycęo Naturę concluſiones inferre: Fidei propterea, quę prima Theologię principia

ſuppeditat, nequit Theologię Candidatus abſque inofficioſi animi nota prima negare proloquia, & ego eius, quàm Theologus fidei debet, obſeruantię iure compulſus ineuntis anni litteraria pręludia fidei conſecrans cui captiuę mentis defero obſequia ſolutę ad proludendum linguę deuoueo officia, dicendique impatiens per eius dotes nullo mihi pręfixo, nullo vobis propoſito ordine excurro; pręmittitur enim ſeruandi ordinis ſeries vt orationi vel afferatur claritas, vel concilietur attentio; at fidei, quæ obſcura quę ex auditu eſt, ſicuti nec prodeſſe claritas nec deeſſe attentio poteſt, ità non eſt cur vllam proponam & præmittam aut protaſim, aut analyſim dicendorum.

Non implorabo igitur veſtrarum aurium benignitatē, nec

nec pertimeſcam ſermonem effundere vbi auditus non ſit, dum eam virtutē proloquor quę tota eſt ex auditu: Pluribus intētus nō erit minor ſenſus ad ſingula, dum eam profero quę ſenſuum experimentum dedignata intelligibilem non ſenſibilem attentionem efflagitat; nec auribus ſed menti ſe ingerit, cuius aciem ne perſtringat argumentum facta non apparentium propriū fulgorem temperat vmbra deliteſcētis veritatis, ambitque illuſtre illud ex Boetio obſcuritatis decus

Latet obſcuris condita virtus
Clara tenebris:

Quamuis nō niſi ſacrum amorem excitet profani amoris cæcitatem æmulata velamen obſcurę reuelationis apponit oculis, animi tamen non corporis: Amica eſt opacitatis, quamuis opaca refugiat ope-

ra

ra tenebrarū, ſuiſque faciens ex tenebris prçclariorū operum lumen ſplendeſcere non niſi in Filijs lucis inhabitet, *Nox quippè eius ſicut dies illuminatur, ſicut tenebræ eius ità & lumen eius:* Lumen prorsùs ſingulare quod Naturę imperans, inſeruiens glorię, neutrius lumen ſuum aſci cit in ſubſidiū; nec niſi ſingulari poteſt lumine gaudere fides, quę adeò ſingularitatis eſt auida, vt ſolo monarchico Principatu contenta nullibi eſſe velit niſi ſingulariter dominetur, menteſque ipſas, quæ ſolę in homine ſui iuris ſunt, totas ſubijciat; Nequit diuidere imperium, & quęcumque ipſius diuiſio infert perniciem omnimodam; non eſt viliſſimorum ad modum ſerpentum, qui victitant etiam diſſecti, ſed nobiliſſimorum inſtar animantium, quę diuiſiſſe, funditùs pe-

peremiſſe eſt: Idem ei eſt imminui maieſtate, & excidere: Neſcit vel minimā repulſam tolerare, & nullibi negatio naturam magis malignantem exercet, quàm vbi in Fidem inciderit, hanc nec leuiſſimè poteſt attingere, quin tota ſtatim malignitate diffuſa ipſam totam inficietur: Commune illud ex Seneca virtutis elogium, *Non poteſt virtus maior aut minor fieri*, proprijſſimum fidei eſt, cuius monarchicum imperium nec in prima mundi ætate quaſi adoleſcens incrementa ſuſcepit, nec in eiuſdem ætate poſtrema quaſi ſeneſcens decrementa patietur, & licèt Dauid ſe *ſuper ſenes intellexiſſe* glorietur, gloriari nequit ſuper ſenes credidiſſe. Vna fides, ſemperque eadem eſt; diuina cum ſit diuinam vnitatem ſingularitatemque imitatur, & ſicuti Deus vno

omnia profert Verbo, ità homo vna omnia credit Fide, quam non poteſt habere multiplicem, niſi multiplicem fingat Deum cui credat, multiplicem quam credat Deitatem: Vbi vna Charitas omnē bonitatem, vna Spes omnem beatitatem exhaurit, neceſſe eſt quod vna Fides omnem veritatem abſorbeat: Memini optaſſe Caligulam vnicū Romæ toti caput vnico obtruncandum ictu; vnica eſt vnico ſub Capite, at cui obtruncando nullus ictus ſufficiat, Romana fides, & vera Religio. Hinc hæreticorum turba in Fidem ſęuiens nihil impetit acriùs quàm Vnitatem, & Catholicam calumniatur Eccleſiam, non quòd ſit falſorū dogmatū Magiſtra, ſed quòd quaſi neſciens ſine alieno funere viuere & in extraneæ lucis præſentia proprium ſeruare

re

re ſplendorem, adeò ſit ſingularitatis vnitatiſque ſolicita, vt nullam admittat alterius Religionis aut Fidei ſocietatem, omnem damnet multiplicis Sectę diuiſionem, & ſi quas ipſa tamquàm circumamicta varietatibus diuiſiones habet, diuiſiones tantùm gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Hiſce diuiſionibus appoſitè inſcriberetur lemma illud, *Varietate vnitas*, inſcriptum olim Organo Muſico, quod diſparibus mole & ſitu fiſtulis vnicum idemque ſuauiſſimum edit melos, dum vnico afflatur ſpiritu; non aliter ſi aliquãdò adagium fuit, *Muſicam docet Amor*, docet etiã Muſicam Fides, & Fidelium cętus ex varia membrorum gratiarumque diuiſione conſurgens, dum vno diuinitùs ſpiritu afflatur, concordi & harmonica pace perfruitur,

 deri-

fendēdam veſtrarum aurium pietatem, ad inficiendam meę dictionis puritatem, ad intentandam ſupernę Gratiæ euerſionem: Enimuerò quamuis inani furant æſtu, & non niſi ſibi ipſis Gratiam euertant impudētiſſimi Gratiæ calumniatores, refugit tamen animus tantæ monſtra temeritatis. Experientur interim ipſi vel inuiti quàm malum ſit fuiſſe in Diuinam Gratiam iniurios, quando eò grauiùs eius carentiam tolerabunt, quò impudētiùs eiuſdem pręſentiam contempſerunt; & hìc quàm iure horum miſerrimam conditionē exprobrarem, niſi præclara Gratię encomia, & pręconia me totum abſorberent; in his totus ſiſto, in his totus conquieſco; ex his & mea & veſtra ſtudia nihil ſibi non felix, nihil non

fau-

faustum auspicantur, & ad docendum quippè & ad discendum prȩsto semper erunt Gratiæ auxilia, vbi & quod docetur, & quod discitur Gratia est; Nemo studebit inglorius, vbi vnusquisque studebit pignori & præludio gloriæ: Nemo suis in studijs dolebit de ignorantiȩ vulnere, vbi materies ipsa studiorum medicamen est vulneris: Nemo patietur ex litterario labore tristitiam, vbi fons est ex quo aquæ hauriuntur in gaudio: Suauissimo omnia explicabũtur eloquio, quia semper erit diffusa in labijs Gratia; celeri omnia calamo percurrentur, quia Gratiȩ celeres dulciores: Mens omnis aut tarda aut obliuiosa & obliuionem dediscet & tarditatem; quia & nimis inurbanũ est Gratiȩ obliuisci, & nescit Gratia tarda molimina.

Ne

Ne verò aliquod mihi vitium moræ, & tarditatis tribuatur, rem totam illicò expedio, & celeri concludo ſilentio Gratiæ dotes quas proludebam.

DE FIDE.

OBeat licèt in Cœlis Deus Doctoris Maximi & Optimi Magiſtri munus, homines Angeloſque ad ſcientiam beatam erudiēdo, non tamen ſoli cœleſtis Athenęi Conſeſſores Diuini Magiſterij priuilegio gaudent, nec ſolum Empyreum Dei docentis archigymnaſium eſt: Quinimò ſublunari in Vniuerſo magiſterium ſuum Deus ingeminat: & duplici ſub lumine, naturę altero, altero fidei, duplicem propemodùm palęſtram inſtituit; in vtraque Dei Diſcipulus & Auditor Theologus eſt; diſcit in lycęo fidei principia diſponere, diſcit in lycęo Naturę concluſiones inferre: Fidei propterea, quę prima Theologię principia ſup-

ſuppeditat, nequit Theologię Candidatus abſque inofficioſi animi nota prima negare proloquia, & ego eius, quàm Theologus fidei debet, obſeruantię iure compulſus ineuntis anni litteraria pręludia fidei conſecrans cui captiuę mentis defero obſequia ſolutę ad proludendum linguę deuoueo officia, dicendique impatiens per eius dotes nullo mihi pręfixo, nullo vobis propoſito ordine excurro; pręmittitur enim ſeruandi ordinis ſeries vt orationi vel afferatur claritas, vel concilietur attentio; at fidei, quæ obſcura quę ex auditu eſt, ſicuti nec prodeſſe claritas nec deeſſe attentio poteſt, ità non eſt cur vllam proponam & præmittam aut protaſim, aut analyſim dicendorum.

Non implorabo igitur veſtrarum aurium benignitatē,

nec

nec pertimescam sermonem effundere vbi auditus non sit, dum eam virtutē proloquor quę tota est ex auditu: Pluribus intētus nō erit minor sensus ad singula, dum eam profero quę sensuum experimentum dedignata intelligibilem non sensibilem attentionem efflagitat; nec auribus sed menti se ingerit, cuius aciem ne perstringat argumentum facta non apparentium propriū fulgorem temperat vmbra delitescētis veritatis, ambitque illustre illud ex Boetio obscuritatis decus

Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris:

Quamuis nō nisi sacrum amorem excitet profani amoris cæcitatem æmulata velamen obscurę reuelationis apponit oculis, animi tamen non corporis: Amica est opacitatis, quamuis opaca refugiat ope-

ra tenebrarū, ſuiſque faciens ex tenebris pręclariorū operum lumen ſplendeſcere non niſi in Filijs lucis inhabitet, *Nox quippè eius ſicut dies illuminatur, ſicut tenebræ eius ità & lumen eius:* Lumen prorsùs ſingulare quod Naturę imperans, inſeruiens glorię, neutrius lumen ſuum aſciſcit in ſubſidiū; nec niſi ſingulari poteſt lumine gaudere fides, quę adeò ſingularitatis eſt auida, vt ſolo monarchico Principatu contenta nullibi eſſe velit niſi ſingulariter dominetur, menteſque ipſas, quæ ſolę in homine ſui iuris ſunt, totas ſubijciat; Nequit diuidere imperium, & quęcumque ipſius diuiſio infert perniciem omnimodam; non eſt viliſſimorum ad modum ſerpentum, qui victitant etiam diſſecti, ſed nobiliſſimorum inſtar animantium, quę diuiſiſſe, funditùs

pe-

peremiſſe eſt: Idem ei eſt imminui maieſtate, & excidere: Neſcit vel minimã repulſam tolerare, & nullibi negatio naturam magis malignantem exercet, quàm vbi in Fidem inciderit, hanc nec leuiſſimè poteſt attingere, quin tota ſtatim malignitate diffuſa ipſam totam inficietur: Commune illud ex Seneca virtutis elogium, *Non poteſt virtus maior aut minor fieri*, proprijſſimum fidei eſt, cuius monarchicum imperium nec in prima mundi ætate quaſi adoleſcens incrementa ſuſcepit, nec in eiuſdem ætate poſtrema quaſi ſeneſcens decrementa patietur, & licèt Dauid ſe *ſuper ſenes intellexiſſe* glorietur, gloriari nequit ſuper ſenes credidiſſe. Vna fides, ſemperque eadem eſt; diuina cum ſit diuinam vnitatem ſingularitatemque imitatur, & ſicuti Deus vno

omnia profert Verbo, ità homo vna omnia credit Fide, quam non poteſt habere multiplicem, niſi multiplicem fingat Deum cui credat, multiplicem quam credat Deitatem: Vbi vna Charitas omnẽ bonitatem, vna Spes omnem beatitatem exhaurit, neceſſe eſt quod vna Fides omnem veritatem abſorbeat: Memini optaſſe Caligulam vnicũ Romæ toti caput vnico obtruncandum ictu; vnica eſt vnico ſub Capite, at cui obtruncando nullus ictus ſufficiat, Romana fides, & vera Religio. Hinc hæreticorum turba in Fidem ſęuiens nihil impetit acriùs quàm Vnitatem, & Catholicam calumniatur Eccleſiam, non quòd ſit falſorũ dogmatũ Magiſtra, ſed quòd quaſi neſciens ſine alieno funere viuere & in extraneæ lucis præſentia proprium ſeruare

re

re ſplendorem, adeò ſit ſingularitatis vnitatiſque ſolicita, vt nullam admittat alterius Religionis aut Fidei ſocietatem, omnem damnet multiplicis Sectę diuiſionem, & ſi quas ipſa tamquàm circumamicta varietatibus diuiſiones habet, diuiſiones tantùm gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Hiſce diuiſionibus appoſitè inſcriberetur lemma illud, *Varietate vnitas*, inſcriptum olim Organo Muſico, quod diſparibus mole & ſitu fiſtulis vnicum idemque ſuauiſſimum edit melos, dum vnico afflatur ſpiritu; non aliter ſi aliquãdò adagium fuit, *Muſicam docet Amor*, docet etiã Muſicam Fides, & Fidelium cętus ex varia membrorum gratiarumque diuiſione conſurgens, dum vno diuinitùs ſpiritu afflatur, concordi & harmonica pace perfruitur,

 deri-

derideıque miſerrimos huiuſce pacis deſertores & olores vnitatis, qui politicum illud dogma, *Diuide & impera*, ad ſpirituale regimen trãsferentes, diuidunt imperandi libidine, ſed diuiſionis experiuntur incommoda, & imperãdi commoda non conſequũtur, quin potiùs nec Principatus nouerunt, nec Imperia, niſi vt Principum iras, & Imperatorum diras ſuſtinerent. Hinc erubuerunt proprio reſperſi ſanguine nigerrimi Æthiopes Fidei candorem in Hiſpania denigrantes: In Rupellenſi expugnatione expugnatam hæreſim celebrat Gallia: Ab Auſtriaca pietate & potentia veræ Religionis inſignia ſacratiùs ſemper latiùſque protendi & in Pannonia repullulantia in dies tamquàm hydræ capita perduellium hęreticorum agmina feliciter ſemper for-

fortiterque prosterni gratulatur Germania: Anglia dum alit Sectarios se ipsam intestinis morsibus deuorat, eamq; Deus à Catholico Principe vinci non destinat vel quia nationi perditissimæ species esset glorię à Catholico Principe debellari, vel quia immanissimus Anglus à nullo vexari potest immaniùs quàm à se ipso. Bataui Populi ab vnitate Fidei deficientes Vnitarum Prouinciarum titulum vsurparunt, vt vnitatem aliquam nanciscerētur; sed vnita ipsorum virtus adeò imbecillis est, vt diuiso Anglo vix restiterit, & in Nationis vtriusq; discordijs Fides semper sine pugna trimphauerit, quia siuè Hollãdica, siuè Anglica classis vinceret, semper hæresis vincebatur; & iam pręsignabãtur solenniores Fidei triumphi, quos Augustus

& ſemper inuictus Religionis Propagator Ludouicus in illarum Prouinciarum gremiũ cum admiratione & plauſu totius Catholici orbis vrgeret, illiuſque plebeculæ obſcuræ caliginem Solis inſtar diſſolueret: Perierunt ſuo in ſchiſmate prȩclariores orientis Eccleſiæ, ſola quæ in occidente eſt occaſus neſcia propriæ vnitatis tuta munimine inconcuſſa ſeruat ſuæ perennitatis fundamenta. Quid igitur tandem obtinuere Sectarij Catholicam tentantes Eccleſiam ſauciare? putidiſſimi Scarabei in hoc vno apibus ſimiles, quòd figentes ſpicula ad Fidem vulnerandam animas relinquunt in vulnere, vel Scorpiorum in morem propria contuſione & nece plagas ſanant quas infligunt, dum ad noſtræ Fidei gloriam plùs proprio proſunt odio,

quàm prodeſſe poſſent obſequio. Quid igitur tandem diuiſerunt Catholicam tentantes Fidem diuidere? Diuiſerunt à vera beatitate proprias calamitates, à vera vnitate propria diſſidia, à vera luce propriam cæcitatem, & miſerrimè imitantur perduelles illos, quos Henricus III. deſcriptis in numiſmate veſpertilionibus aduerſo ſemper Sole volitantibus deriſit addita epigraphe *Non cognouerunt lucem præſentem*. Interim Catholicus cętus agnoſcens lucem præſentem ſorte feliciſſima aſpirat ad futuram, ex ſubobſcura reuelationis Aurora æternum eumque clariſſimum ſibi diem inauguratur, in lumine Fidei lumen videbit gloriæ, dum profitetur vnam ac vnicam eſſe veram Fidem ipſaq; ſola ad gloriam perueniri.

Hìc ſtatim occurrit animo

induſtrium illud certaminis genus, quo accingebant ſe Curſores in ſtadio facem geſtantes accenſam ex lege certaminis ad metam vſque deferendam, adeò vt qui paterentur in face lucis deliquiũ, paterentur in curſu mercedis iacturam, quo ni fallor certamine prænotabat Antiquitas decem Virgines properantes ad Sponſum, quarum quæ accenſas lampades prętulerunt, optatiſſimos Sponſi amplexus excepere, quæ eaſdem geſtarunt extinctas frigida illa voce, *Neſcio vos*, dimiſſæ receſſerunt: Fruſtrà ſcilicèt ad æternum brauium curſus capeſſitur, niſi Fidei fax accenſa prę-luceat; fruſtrà ad Agni nuptias acceſſus expetitur, niſi Fidei lãpas exardeat; fruſtrà, andabatica, & cæca pugna certatur, niſi certaminis campum Fidei Splendor illuſtret.

Sum-

Summa omninò necessitas Fidei, quæ non secùs ac lux dedignatur abscondi, & vinci nescia conflictum nullum declinat, nullam sibi irrogatam iniuriam dissimulat; & licèt humilitatis ac tolerantiæ indiuisa comes doceat ad summam gloriam computare omnem calumniarum, conuitiorum, & scommatum colluuiē, nullatenùs patitur vel leuissimam imputationem hæreseos: Testis sit pijssimus ille Anachorita qui suæ periculū facturus patientiæ cuiuscumque calumniæ & piaculi etiā atrocissimi obiectionē æquo imò læto excipiens animo ad obiectam calumniam hæreseos non læsæ patientię furore, sed Fidei zelo in calumniatorem totus excanduit, arbitratus sine Fidei detrimento tolerari non posse etiam per apertum mendacium apposi-

tam labem infidelitatis. Necesse est Fidem interiùs exteriùsque profiteri, nec simulanda est nec dissimulanda, seria ipsi iniuria contemptu etiam iocoso irrogatur, & modicissima quæuis offensa excrescit in crimen lęsæ Maiestatis: Hypocritas ęquè ac pusillanimes detestatur, interiorem hominem sine exteriore, exteriorem sine interiore non suscipit; refugit eum qui corde credit ad iustitiam, nisi etiã ore faciat confessionem ad salutem; odit doctis impallescentem chartis Theologum, si dum chartis impallescit, erubescit Euangelium; respuit lacrymis irrigari, nisi sanguine purpurascant, & malè prodigus est sudoris impendendi in ipsius obsequium qui auarus est cruoris effundendi in eiusdem testimonium; Chrysostomo Auctore *nihil Fideli*

peri-

periculosius quàm fugere Fidei pericula; in Fidei quippè pugna illustrius est proprio quàm alieno sanguine insignia cruentare vt solenniter comprobat Romanū hoc solum tercentorum millium Martyrum sanguine cōsecratum; Vexilla ipsa virginitatis numquàm candicant gloriosiùs, quàm cum candorem viuidiùs excitat sanguinis rubor; ipsa lilia puritatis numquàm albicant defęcatiùs, quàm cùm rubescentibus Martyrij rosis intermiscentur: In Fidei lycæo Pythagoricum silentium non commendatur, audiri vult illa simul & prædicari, & vt ait Augustinus *non perfectè credunt qui quod credunt nolunt loqui*: Fidei characteres nemo describit elegantiùs, quàm qui eos in corde simul & frōte delineat: In Fidei delubro nemo sacrificat augustiùs, quàm qui se

ipſum offert in victimam, & ſingulari priuilegio immolari religioſius eſt quã immolare.

Nequè hæc ſunt Fidei noua elogia & priuilegia recentia, ſed cuncta vetuſtiſſimo Maiorum iure, & ſæculorum omnium tèſtimonio confirmata; lumen enim Fideiità eſt lumine glorię dote claritatis infirmius, vt ſit eodem dote antiquitatis illuſtrius, æternique Solis prior, quamuis non maior participatio, ſuæ ſeriem propaginis à primo rerum exordio recenſet, *à ſummo Cœlo egreſſio eius*, & quamuis ſublunaris orbis incola ſua habuit in ſuperlunari natalia: Cum Angelis in Cœlo iactans primordia, creaturas maximè liberas gloriatur ſibi natas captiuas gaudetq; ſplẽdidioribus ſpiritualis Cœli ſyderibus propriam impertiẽdo obſcuritatem addidiſſe ſe,

non

non detraxiſſe nitorem: E Cęlo in terram delapſa Fides terreſtrem Paradiſum incoluit, vtque faciliùs in totum mundi ſublunaris corpus efflueret ſe collocauit in Capite, Adamo ſcilicet infuſa in omnes Poſteros poſtulabat effundi, & licèt ſuprà totam naturam hominis cuilibet homini expoſcebat innaſci, niſi Adam ab Apoſtatis Angelis actus in crimen Poſteros feciſſet Apoſtatas, & hæreditario patrimonio tranſmiſiſſet in Filios pro gratia culpam, pro innocentia fomitem, pro fide infidelitatem, pro luce noctem: *Huiuſce* noctis plùs quàm cimmerijs tenebris quis extinctum prorsùs Fidei lumen nō ingemiſcat? & in humani generis irreparabili excidio quis Diuinæ Fdei perpetuum ab Vniuerſo poſtliminium non deploret? At cādi-

didior nigriores post tenebras lux effulget, & densiora post nubila Sol coruscat amabilior; non aliter Diuini Solis ortu nouum diem afferente post communis ignorãtiæ caliginem Fides irradiat splendidior, ex Vniuersi interitu vegetior renascitur, assurgit robustior: Ipsa scilicèt in lege naturæ remedium culpæ suppeditat, & Paruuli, qui in primo Parente peccarunt, in proximorum Parentum Fide iustificati Fidei agnoscunt beneficium priusquàm Fidem ipsam agnoscãt: In lege scripta tot habet Præcones quot Prophetas, tot insignia quot figuras, tot testimonia quot prodigia: At sicuti quantùm naturam gratia, imaginem exemplar, tantùmdem legem naturę & scriptam lex gratiæ exuperat; ità in lege gratiæ tanto vberiora quàm in lege na-

naturæ & ſcripta Fides oſten-
tat admirationis argumenta,
Quorum eximium pręludium
intonat Apoſtolus gratula-
bundis illis vocibus, *Multifa-
riàm multiſque modis olim Deus lo-
quens Patribus in Prophetis nouiſſimè
diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio,*
& vt loquitur Auguſtinus, *in
lege noua os ſuum aperuit, qui in lege
veteri aperire ſolebat ora Propheta-
rum*: Verbum grande ſenſum
myſticum, verbum paruum
ſenſum litteralem aliàs appel-
lauit Hebræus, at nobis omne
Fidei verbum grande eſt; quia
illud grandiloquo, proprio
ſcilicèt ore, Deus eloquitur:
Auream eloquentiam, pretio-
ſa eloquia malè in ſuis Ora-
toribus priſca ſæcula celebra-
runt; ille ſolùm pretioſa lo-
quitur qui de theſauro verba
profert & in eo loquitur in
quo ſunt *omnes theſauri Sapientiæ,
& Scientiæ abſconditi:* Legitimam
ve-

veritatis vocem Fidem esse quis ambigat? quando Diuina ipsa Veritas humanæ assumpsit organa locutionis, vt homini Fidem loqueretur: In vniuersum Orbem longè latèque effundendum Fidei sonũ quis inficietur? quando Verbi est sonus immensi: Fidelis Populus non tàm potest gloriari *quod non sit alia natio tàm grandis quæ Deos habeat appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis*, quàm quod non sit alia Natio tàm grandis quæ Deos habeat loquentes sibi, sicut Deus noster loquitur nobis; Non tàm potest decantare felicem culpã quæ Deum meruit habere Redemptorem, quàm felicem ignorantiam quæ Deum meruit habere Doctorem: Si primus discendi ardor nobilitas est Magistri, quantùm Diuinũ Magisterium quodcumq; Humanum excedit, tantùmdem

de-

debet ediſcendæ Fidei ardor cuiuſcumq; alterius diſciplinæ ardorem excedere: Hìc ſolùm liceat aut ſine periurij ſcrupulo iurare in verbo Magiſtri, aut ſine ſuſpicione mēdacij aſſerere, quòd nequeat eſſe Diſcipulus ſuprà Magiſtrum; Magiſtrum inquam qui Deus eſt, qui loquitur digna eloquio diuino magnalia; loquitur abſcondita à ſæculis myſteria, credibilia nimis teſtimonia, incomprehenſibilia iudicia; loquitur ſub Sacratiſſima Triade diſtinctas in eſſentiæ identitate Perſonas, ſub vnione hypoſtatica impermixtas in Suppoſiti vnitate Naturas, in duobus Teſtamentis vnicam hæreditatem, in ſeptem Sacramētis ſeptem orbis reparati miracula, in duodenario articulorum credendorum numero prodigia innumera, & ſi olim Ouidius

de

de ſe ipſo teſtabatur *Quidquid tentabam dicere verſus erat*; veriùs omninò de Fide pronunciauerim Quidquid tentabit dicere prodigium eſt : Imò etiã prodigium eſt quidquid tentabit operari: An non etenim quidquid arduum , quidquid portentoſum humana mens concipit, Fides miraculorum omnium Parens fęcunda progignit? an non pygmęa hominis virtus , ſi Fidei ſubſidio roboretur , vires induit plùs quàm giganteas? quibus facillimum ſit vel conuulſis firmiſſimis ſaxeiſq; radicibus montes ad motum erudire; vel diuiſis fluidis vndis in ſolidos aggeres liquidi elementi vortices ſiſtere,immobileſque detinere ; vel ignis ardore temperato excitare zephiros in accenſa fornace; vel incitatiſſima Solis conuerſione interrupta Planetæ erratico fixi Aſtri

Astri naturam accommodare; vel in humani generis bonum omnia elementorum iura, omnes naturæ leges superare & excedere, euertere etiã & violare.

Et ecce obiter aliud eximiũ Fidei præconium, quo Monarchicæ dignitati, vnitati, necessitati, antiquitati, prærogatiuam vtilitatis adijciẽs omnibus omnia facta, sicut generosos animos maiestate allicit, peruicaces necessitate compellit, ità tenaces vtilitate attrahit. Vtile etenim asseruit Stagirites, *quod comparationi bonorum, & malorum inseruit propulsioni*; at quæ bona non comparet, quæ mala non propulset portentosa vis Fidei? *Numquàm discedat vtile à decoro* protulit Ausonius, nigra est Fides sed formosa, pulcherrimumque ipsius decus est quod fusca sit, quia à Diuino Sole

de-

decolorata; non poteſt igitur deeſſe Fidei vtile, cui ne deſit decorum, obſcuritas ipſa conducit ad decus: Niſi Religioſę paupertatis cultores alloquerer, opulentiſſimum mihi diuitiæ ſuppeditarent argumentum eius, quæ Fidei ineſt, vtilitatis; omnia enim obedire pecuniæ, ad omnia argentum vtile, totius ſæcularis orbis adagium eſt, & tamen vt cum Auguſtino loquar *apud Deum plus habet loci qui plus attulit non argenti ſed Fidei*; vileſcit igitur omnis pecuniarū vtilitas vtilitati Fidei cōparata. Verùm abſtineamus ab vlteriore vtilitatis indagine, ne iuſtè objurgemur auctoritate Philoſophi dicentis *vtilitatem quærere non conuenit magnanimo, & ingenuo Homini*: Bonum, quod omnes magnanimo niſu ingenuoque ſtudio perquirunt, beatitudo eſt, ideò vt inelucta-

ctabili argumento Fidei supereminentem excellentiam concludam in ea totam humani generis extrà cœlestem Patriam peregrinantis beatitudinē sitam esse demonstro.

Eò est per Philosophum *homo beatior, quò Deo propinquior*; at appropinquantē ad Deum oportet credere? *Omnis est Deorum vita beata, hominum autem quatenùs in ea elucet quoddam eius actionis exemplar* At non aliundè quàm per speculum Fidei elucet in homine exemplar Diuinitatis? non aliundè igitur quàm per Fidem beata potest euadere Viatorum hominum vita: & vt Augustiores huiusce veritatis Patronos accersam non nè supernę Ierusalem nobiles Incolæ verbis illis *sicut audiuimus sic vidimus* testantur quod sicuti in Patria Visio, ità in via auditus, & quæ ex auditu Fides tota beatitudo

est?

est? Non ne increata ipsa Sapientia irrefragabili testimonio id expressit Petro & Thomæ, dum huic dixit, *Beati qui non viderunt & crediderunt*; illi, *Beatus es quia Pater meus tibi reuelauit?* Quid ni tandem ipsa Fidei definitio primis etiam vocibus maximam esse beatitudinis & Fidei cognationem euincit, Quis enim, nisi neget se sperare beatitatem, inficietur idem esse Fidem definire *Sperandarũ substantiam rerum*, ac ipsam dicere substantiam & basim beatitatis? Nec vllus succenseat me Theolocicæ licentiæ fines prætergredi, & contrà prima Theologiæ rudimenta summam miseriam cum summa felicitate componere, dum hanc in Fide miserrimum peccati consortiũ admittente constituo. Enimuerò Fides, cuius adumbro lineamenta, non est cadauer

ina-

inanime aut materia informis, quæ in se ipsa emortua habere possit comitem mortem peccati, & asseclas suos spiritualis vitæ æquè ac corporeæ nolit esse solicitos: Proludo Fidem quæ diuinorum charismatum amorem æquè ac notitiam largiatur & Sacratissimam Triadem ità veneretur menti illabentem per cognitionē vt vna simul eamdem adoret animæ insidentē per gratiam, nec sinat credentem motibus actum contrarijs auerti impio voluntatis consensu ab eo, ad quem pio intellectus assensu conuertitur: Vnico verbo proludo Fidem non humanam, non falsa ostentantem & ambulantem in mirabilibus super se, non languidam, non infirmam, nō otiantem; sed theologicam, operantem, viuentem, gratiæ munitam auxilijs, spei, & charita-

ritatis præſidijs roboratã ; fas ſiquidē non eſt Theologo felicisſimũ theologicarum virtutum ternarium theologica tractatione diſiungere ; Fides propterea, quę compendiaria prolocutione in pręſenti ſolã ſe protulit, ſpe & charitate ſociata ampliore apparatu prodibit in ſcenam: decuit nihilominùs hoc in proſcenio ipſam ſolã proloquētis partes ſuſtinere, vt ſicuti ſe ſola tribuit Theologiæ principia ità ſe ſola ſuſciperet Theologorum primitias; nec Sacrũ illud Charitatis elogium, *Maior horum eſt charitas*, ſatis arridet Theologo, qui ſaltem gratitudinis titulo Fidei debet virtutis primæ & omnium maximè pręrogatiuam ; pręſertim in hoc Fidei ſupremo Solio, eiuſdemque ſemper triumphantis Theatro auguſtisſimo ; in hac ſcilicet alma

Vrbe

Vrbe, in qua Thologicæ Fi-
dei felicitatem, vtilitatem,
neceſſitatem, antiquitatem,
& maieſtatem pro annua
Theologici ſtudij inſtaura-
tione proludebam.

DE INCARNATIONE.

TErrenus homo terreſtri in Paradiſo collocatus cœleſtis Patris in ſe, cœleſtiſque Patriæ præ ſe ferebat imaginem; Toto ſcilicèt relucebat Deus in homine, in quo intelligēdi facultas ſciētiarum infuſione ſpectabilis, arbitrij libertas ad honeſtatem ſponte procliuis, rationis lumen purioribus radijs eximiè coruſcans, erant omniſciæ mentis, increatæ voluntatis, æternæ lucis lineamenta: Immortalis animus imitationem quamdam ęternitatis, corporis robur incommodis nullis obnoxiū aliquale beatitatis initium exhibebant, originalis iuſtitia præbebat ſimilitudinem Diuinæ Sāctitatis, habitualis gratia conſortium

Di-

Diuinæ Naturæ, adoptiua Filiatio participationem Diuini Patrimonij. Relucebat cœlestis Patria, ac ſumma felicitas terreſtri in Paradiſo, in quo perpetui Veris deliciæ, perennis Autumni diuitiæ, ſerena ſemper & ridens Cœli facies, læta ſemper & ſalubris aeris temperies, iucunda ſemper & florens terræ ſuperficies ſtatum omnium bonorũ aggregatione perfectũ æmulabantur. Vtramq; hanc imaginem originalis culpa vitiauit, quæ terreſtrē Paradiſum ſuis ſpoliando Incolis in tellurem deſertam regionemque barbaram commutauit, & hominem donis exuendo gratuitis reddidit mutilum ac informe naturæ lapſæ ſimulacrum. Homine innocēte imago nulla venuſtior, eodem peccatore imago nulla deformior; cæcutit habetata men-

tis acies, declinat deteriorem in partem arbitrium, pars inferior ſuperioris euertit imperium; aggrauatur anima corpore, fatigatur corpus labore, labor diuturnitate exaſperatur: Primi Parentis lapſu nutat tota proſapia, morbo capitis cuncta laborant membra, vitium radicis per ramos omnes ſerpit: transfert Adam ad Poſteros ærumnarum ſupellectilem, infirmitatis peculium, ignorantiæ patrimonium, concupiſcentiæ principatum: Transfert præiudiciũ innocentiæ, obicem gratiæ, iacturam gloriæ, reatum pęnæ: transfert præteritorum luctuoſam reminiſcentiã, triſtem præſentium experientiã, terrificam præſentionem futurorum, vitæ mille crimina, mortis mille diſcrimina; ſicq; ærumnoſa nimis malorum ſibi inuicem ſuccedentium viciſſi-

cissitudine totum humanum genus inter mala versatur; mala perpetrat, mala tolerat; mala infert, mala refert; mala docet, mala discit, à malis in mala ruit, à culpis in pęnas, à pœnis in culpas relabitur, istis impellitur Iustitia ad vltionem, illis Misericordia flectitur ad commiserationem: addit Iustitiæ stimulos humanæ vilitas conditionis, ex qua & dignitati satisfactionis ingens detrimentum, & grauitati offensæ maximum incrementum accedit: auget illicia Misericordiæ humanę magnitudo miseriæ cui subleuandæ impar est virtus quælibet non diuina. Hæc vltionis, & commiserationis incitamēta redderent misericordiam, iustitiamque discordes, si aut posset non esse inuiolabile diuinas inter perfectiones concordiæ Sacramentum, aut nō

ſuppeteret Increatę Sapientię modus exigendi integram ſatisfactionem iniuriæ & exercendi ſimul benignam Miſeriæ ſubleuationem. Præſtat vtrumq; mirificè Diuini Verbi Incarnatio, in qua Miſericordia æquè ac Iuſtitia plaudentes non ſolùm inter ſe geſtiunt, verùm etiam Omnipotentiam ad plauſuum communionem inuitant. Miſericordiæ, Iuſtitiæ, & Omnipotentiæ in Incarnationis Myſterio geſtientium plauſus de Incarnato Verbo proluſurus aut potiùs eidem plauſurus, conſiderationi veſtræ ſubijcio: Et quia Omnipotentia in Incarnationis opere prima exercetur, ipſa etiam in Incarnationis prælud io prima glorietur, plauſuſq; ſuos prima producat.

Proferat illicò ſibi vni cōpetere, quòd Vnionis hypoſta-

ſtaticæ cauſa ſit ; & alterius cuiuslibet comprincipij ſubſidium dedignata ; nec extraneum inſtrumentum admittat nec meritum in talis vnionis nodo efformando ; gaudeat conatus ſuos exercere adeò vt in ſe propemodum exhauſta non ſolũ perfectius, ſed nec æquale quidquam valeat vlteriùs elaborare ; non enim patitur Chriſtus alterius Chriſti conſortium, Monarchicum ſibi vendicat Principatum; monſtroſum eſſet corpus Eccleſiæ, ſi in multiplici Chriſto multiplex Caput ſortiretur; & quæ vnicũ Cor habet immultiplicabile in vnico & immultiplicabili Spiritu Sancto, nequit non habere vnicum & immultiplicabile Caput in vnico & immultiplicabili Chriſto ; Hoc vnum Caput corpori ſufficit plùs quàm giganteo ; hoc vnum

menbris omnibus vitæ, vigo-
risque satis impertit; hoc vnũ
omnes mouet; omnes perfe-
ctè regit facultates. Proferat
rerum maximè discrepantiũ
intimam coniunctionem, fa-
ctam compositionem in Per-
sona simplici; deriuatam opu-
lentissimã redemptionem ab
egeno Redemptore; positam
in impeccabili arbitrio liber-
tatem, ac omni-merentiam;
Christus quippè pręcepta etiã
quæ violare non potest liberè
obseruat, & omnimodè bene-
meretur in illa obseruantia
in qua nullo modo potest ma-
lè-mereri. Proferat supremo-
rum depressionem ad infima,
infimorumque e[illegible]ionem
ad suprema: Dominus Domi-
nantium serui formam indu-
tus humillimæ Ancillæ subest
imperijs, & alienis legibus
placidissimè subditur qui to-
nitrua inter & fulgura legem

aliquando Mosaycam promulgauit: Vltionum Dominus factus Deus Vnionum hominem sibi nouo æternoque fędere copulat, nec vltricem ampliùs dextram ad fulmina, sed puerilia brachia ad amplexus extendit: Rex exercituum Pacifici Principis assumens insignia nascitur toto orbe in pace composito, & facit Angelos Nuntios pacis qui eosdem creauerat bellatores: Ignis consumens paleis stipulisque insidet, ac blanditur innoxius, & qui in Sole posuit tabernaculum, sua ponit in nocte cunabula: Cœli gaudium madet lacrymis sudori aliquādò sanguineo cōmiscendis: Vagit, gemitque Empyrei risus passurus aliàs grauissimam etiam ad mortē vsque tristitiam: Vindex libertatis fasciolis stringitur mox etiam funibus vinciēdus: Ger-

minat vitis ex palmite, oritur Sol ex ſydere, gignitur Deus ex Virgine, & Cœlo terraq; decantatur

Virginitas felix, quæ partu eſt digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.

Ponuntur tres ſubſtantiæ in vnitate Suppoſiti æmulantes tria Suppoſita in vnitate Eſſentiæ: Vniuntur in Diuina Perſona Naturæ non inter ſe imitantes in Diuina Natura non inter ſe idemtificatas Perſonas: Communicantur humana Deo, diuina homini idiomata, homo diuina agit, Deus humana patitur, & ea quæ vel Deo vel homini idẽtitate ſunt propria fiunt vtrique mutua prædicatione communia. Falſis olim commentis translatos in Numina homines ſuperſtitioſa antiquitas tradidit; aureis vinculis ſuos con-

constrinxit Deos malè reformidans illorum fugam, quorum præsentiæ malè fidebat; at Omnipotentia hominem Deum factum, Deum plùs quàm aureis vnionis hypostaticæ vinculis alligatum non falso commento, sed vero profert miraculo; Lusit homines versutia proditoris, dũ ipsos futuros sicut Deos dictitauit; lusit proditorem omnipotentia Conditoris, dum præstitit ad prodigium, quod ille protulit ad ludibrium, & cogitur malus Angelus inuidere in homine Deitatem, quam ausus erat irridere: Hercules in cunis geminos illidẽs colubros fabulosis Poetarum paginis describitur; iam homo meliùs Hercule omnes Auerni colubros elidit, & pede conterit triumphali, nec ex Draconis cauda noxium quidquam expauescit, quia

iamdudùm existente Sole in Virgine noxij quicumq; malignique influxus euanuere. Habet Omnipotentia in Deo exinanito, & homine exaltato maiora adhùc prodigia, ac mirabiliora paradoxa quæ proferat, ne tamen Iustitiam prosiliendi ad suos promendos plausus impatientem diutiùs remoretur, silentio cætera præterit, plaudentemque auscultat Iustitiam.

Hæc post inebriatas sagittas sanguine, ac deuoratas gladio carnes, post plurimo accensum aerem fulgure, post funestis atrata luminibus Astra, post fractas Cœli cataractas ad Vniuersi submersionem, & parata in gehennæ latebris incendia ad reproborum lanienam, ac combustionem, puniebat adhùc citrà condignum lethalis culpæ demerita, cogebatur adhùc

hùc vel imparem ſatiſpaſſionem inferendo, vel diminutam ſatisfactionem repetendo carere æqualitate illa, quę potiſſima veræ iuſtitię pręrogatiua eſt. Fluant licèt abundè triſtibus ex oculis lacrymæ, erumpant licèt continuò dolentibus ex præcordijs ſuſpiria, totus licèt in cinere & cilicio Populus offerat læſo Numini fructus Pęnitentiæ & cõtriti Spiritus ſacrificia deuoueat: Excedit longè hanc pęnalem ſatisfactionem originalis offenſa. Reſonent vndique elogia & obſequia Deitatis, quælibet mens in Dei contemplationem rapiatur, quælibet voluntas in Dei dilectionem exardeat, quodlibet opus in Dei gloriam cedat; familiare ſit exercitium virtutum, floreat obſeruantia legum, vigeat etiam praxis Conſiliorum: Non ſatis ęquat

ho-

horum omnium rectè facto-rum meritũ vnius grauis malefacti reatum, & quidquid possit aut à Creatura Creator exigere, aut Creatori Creatura exhibere minus est eo, quod vindicatiua Iustitia in irrogatę iniurię expiationem efflagitat. At quando homo Vnionis hypostaticæ priuilegio ad Dei æqualitatem euectus potuit satisfactionem offensæ æqualem impendere, & superabundante gratia vbi abundauit delictum copioso pretio sũam redimere captiuitatem, cõfestim sibi ipsi plaudit gloriabunda Iustitia & officiosa gratulatur Humanitati: Subsistit hęc diuino in Supposito, & quia actiones esse Suppositorum tota naturalis Philosophia testatur, Diuinæ Personæ operatio est quidquid in humanitate peragitur; Diuinus est amor quem

hu-

humana voluntas elicit, diuina eſt cognitio quam mens humana producit, diuinum eſt obſequium, diuinum eſt pretium, diuinum eſt meritũ, quo humana Natura ſua reparat demerita, ſua extinguit debita, ſua delet læſæ Maieſtatis crimina; In vaſe fictili theſaurus reconditur quo facilè poteſt paupertas quælibet etiam extrema diteſcere, conditio quælibet etiam miſerrima ſubleuari, damnum quodlibet etiam ſummum cõpenſari: Quamuis totus mundus in maligno poſitus grauiſſima ruat frequens in ſcelera, ad Deum vndique de terra clamet fuſus iniuſtè ſanguis innocentum, fodiantur vbique ciſternæ diſſipatę non valentes aquam gratiæ continere, pratum omne luxuria pertranſeat, caput omne roſę coronent, os omne eructet blaſ-

blaſphemias, cor omne nefarijs ſordeſcat cogitationibus, manus omnis idolis immolet, pes omnis excurrat præceps ſemitas iniquitatis. Huic tanto diuinæ indignationis irritamento eludendo, his totis ruinis cum fęnore reſarciendis, Incarnati Verbi dignitas, Sanctitas, Meritũ plenè abundèque ſufficiunt; vna lacrymula ex Chriſti oculis defluẽs omni par eſt inquinamento diluendo, leuiuſculum ſuſpirium emiſſum de Chriſti pectore toti ſat eſt mundano pulueri diſpergendo, vnica ſanguinis guttula ſcatens è Chriſti corpore toti apta eſt Vniuerſo dealbando. Quidni igitur Diuina Iuſtitia in plauſus exiliat? dum ei in ſatisfactionem tribuitur non guttula, ſed totius profuſio ſanguinis; non leue ſuſpirium, ſed emiſſus magno clamore

ſpi-

ſpiritus ; non lacrymula vna, ſed ingens lacrymarum effluuium, adeò vt non videatur ampliùs fidem omnem ſuperare quod narratur in fabulis vnam Saturni lacrymam in mare ampliſſimum excreuiſſe. Quidni in plauſus exiliat ? Dum ſuas pro homine diuitias Deus oppignerat, dum anticipata ſolutione debita etiam nondum orta extinguuntur, & damna necdum intentata reparantur ; dum pretium offertur quo non ſolùm in remiſſione pęnarum, verùm etiã in largitione præmiorum poſſit iuſtitiæ ſplendor inclareſcere. Enimuerò Chriſti merita æternam etiã nobis comparant gloriã; hæc ex quo Redemptoris ſigna ſequimur nobis debetur vt corona iuſtitiæ, & noſtra ad viſionem beatam electio ità eſt nobis opus liberalitatis, vt
ſit

ſit Reparatori noſtro opus remunerationis: Gratia Vnionis alterius cuiuſcumque gratiæ fulgorem perſtringit, ipſius meritum omnem aliam gratiam eſſe facit ex debito, & præcipuam beneficentiæ partem in materiam iuſtitiæ conuertit. Non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam libentiſſimè fateor cum Apoſtolo, ſi ſolitariæ prodeant; at ſi in ipſarum conſortium vocetur aliquid paſſionum Chriſti, omnem non tantùm attingūt ſed excedunt etiam condignitatem: Lex Euangelica lex eſt gratiæ, prout à Chriſto in homines fertur; at prout inter Chriſtum quodammodò Deumque verſatur, lex eſt iuſtitiæ & ſummo iure debet Chriſto quidquid gratuitò nobis diſponit. Quis iam non lætus Iudicem ſuſtineat? quā-
do

do quiReus eſt mutuare poteſt à Redemptore obſequia, quibus reatu quolibet expiato ſententiam iuſtæ abſolutionis extorqueat: quando qui inſons eſt mutuare poteſt ab eodē merita quibus addat operibus ſuis valorem, & ius exigendi copioſam retributionē; quando ille præſto habet vndè placet Iudicem indignatū, iſte vndè ſe reddat acceptiorem Iudici beneuolo, vterq; vndè ſuppeditet Iudici exercitium inſigne Iuſtitiæ, Iuſtitiæ præclaram plauſuum lætitiæque materiem.

Hunc in modum plaudens & læta Iuſtitia Miſericordiæ occurrit, quàm dū ſuſpicatur triſtes ad ſe querimonias delaturam, geſtientem excipit, vultuque ſereno ſic placidiſſimè alloquentem. Olim primi Adæ peccatum dum hominē diuiſit à Deo, nos quoque pro-

pe-

pemodùm ſeiunxit ab inuicẽ, & quaſi à te diſcors ac aliena tota incumbebã homini ſubleuando, cui tu proſternendo tota deſudabas: Tibi clamanti, *Ego occidam*; *& ego viuere faciam*, reclamabam: Tibi arrepto fulmine minitanti, *Ego percutiam*; *& ego ſanabo*, blandiebar: Quoties indignato Numini clypeum obtendebam? Quoties iacta retundebam ſpicula? quoties parata auertebam ſupplicia? eripiebam è manibus tela, extinguebam in oculis flammas, ſedebam in ore tonitrua; inducias implorabam & fędera, deferebam antiquorum ſuſpiria Patrum & ardentiora vota Prophetarum, vt temperarem vindictã rigidiorem; dum tu ſceleſtum Niniue faſtum, luxuriantem Pentapolis libidinem, induratam Ægyptiaci Principis infractamq; peruicaciam, ſacri-

crilegam Populi etiam electi ad idola defectionem, aliaq; grauiora flagitia exaggerabas, vt in furores acerbissimos læsam prouocares Maiestatem, & iras dirasque commoueres seueriores. Iam verò secundi Adæ Mysterium coniungendo hominem Deo, nos etiam consociauit ad inuicem, eademque hypostatica Vnione sublata est & creaturę à Creatore diuisio, & Iustitiæ dissensio à Misericordia, quæ propterea Iustitiam amica cōplectitur, eiusque commendatis plausibus, dum suos & ipsa promit, breuis attentionis beneficium efflagitat, & hæc ferè erumpit in verba: Iacebat (inquit) vt nosti malis innumeris obrutus, & propriarum mole miseriarum consepultus sublunaris orbis, latè patebant erebi fauces humano generi de-

glu-

glutiendo, imò auernali Principe vbique iam tyrãnicè debacchante totus ipſe mundus erebi faciem præferebat: Notus dumtaxat in Iudæa Deus, minimus dumtaxat Sanctorũ Patrum cætus fouebat deſiderium ſalutis ac Saluatoris, & ſpe quæ differebatur animum affligẽte clamabat anxius *Mitte quem miſſurus es. Utinam dirumperes Cœlos & deſcenderes. Veni Domine, & noli tardare*. Fulſit tandem ſerenum Cęlum poſt nubila, & noui ſolis ortus clariſſimum diem nullius ſucceſſione noctis obtenebrandum inuexit: *Apparuit* ſcilicet *benignitas Saluatoris Dei*, & te, ò Iuſtitia, de Cœlo proſpiciente *Veritas de terra orta eſt*, proprioque Deus Verbo enunciauit felicitatem, qua præteritæ, præſenti, & futuræ miſeriæ prouidẽtiſſimè conſultum eſt. Teſtantur præteritæ miſeriæ repa-

reparationem rediuiua cadauera, & à cimmerijs limbi tenebris ad beatam Empyrei lucem ducta captiuitas: testatur durissima, & quia lapideis exarata tabulis lapidea penè dixerim lex in benignissimam gratiæ legem humanis cordibus suauissimè insculptam cõmutata: Testatur Circumcisionis pęnale remedium, Agni paschalis festinanter facienda comestio, victimarũ cruẽta sacrificia, vacua figurarum & cęremoniarũ cenotaphia: quæ in suaue baptismi lauacrum, in perenne Eucharistię conuiuium, in incruentum holocaustum, in plenissima sanctitatis & gratiæ monumenta transierunt. Testantur impleta Prophetarum vaticinia, expleta Patriarcharum vota, compos facta totius Gentis expectatio. Præsentis verò miseriæ cessationem ò

quæ pariter, & quanta testantur? reserata Empyrei atria, occlusa gehennæ antra, tartareis coarctata confinijs tyrannica dæmonis potestas, vt ex Apollinis Oraculo ipsomet tartareo Principe loquēte didicimus

Me Puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.

Testantur restituta orbi templa, templis religio, religioni sanctitas; inducta præceptis obseruantia, obseruantię meritum, merito gloria; reddita Mysterijs Fides, Fidei opera, operibus merces. Testatur exiguus olim gratiæ fons qui vberrimum se effudit in fluuium, pusillus fidelium grex qui copioso fętu ouile amplissimum occupat, Diuini Verbi modicum semen quod proceram germinauit in arborem,

tristis

ristis & squallida mundi facies quæ reflorescit & reuirescit tota *exultantibus lignis syluarum à facie Domini quoniam venit*, quæ & id genus alia præscia ni fallor euoluebat mente Vates regius dum lætus concinebat *Scribantur hæc in generatione altera & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Verùm quia minus est præsentibus mederi miserijs, nisi etiam pręcaueãtur futuræ; quàm benè Misericordiæ gaudia & plausus Incarnatio perficit, dum futuras miserias tutis remedijs, futuramq; felicitatem opportunis medijs præoccupat? Enimuerò quid homo trepidet Sacramentorum munitus præsidijs, insignioribus gratię cumulatus auxilijs, supernaturalium virtutum instructus habitibus, spiritualium charismatum vallatus propugnaculis? Christo Duce, Christo

Magiſtro, Chriſto Capite, Chriſto Paſtore; quid miles, quid diſcipulus, quid membrum, quid ouis expaueſcat? Minutiſſima etiam volatilia voraci coram Accipitre à metu immunia cōquieſcent, quoties Aquilæ ſub alis foueantur; deſinent pauidi eſſe teneriores etiam lepuſculi, quoties Leonis iuba regantur, & protegãtur: habemus in Chriſto magnarum alarum Aquilam, Leonemq; inuictiſſimũ, quiſnam poſſit locus eſſe formidini? Si vita hominis militia eſt, Fidei clypeus ictus omnes retundit: Si nauigatio eſt, ſpei āchora procellas omnes eludit: ſi peregrinatio eſt, charitas, quæ benigna, vbiq; parat hoſpitium, & Deus homo factus ne anguſtum quidem locum habuit in diuerſorio, vt homo in Dei filium adoptatus manſionem habe-

ret

ret auguſtiſſimam in Empyreo. Contrà dæmonis aſtus bonus Angelus vigilat ad cuſtodiam: contrà mundi inſidias Beati ipſius Triumphatores ſe totos nobis præbent ad tutelam: contrà carnis illecebras præit candidiſſimus Virginum Chorus ad exemplum, præit Deipara ad patrocinium. Vbi eſt ſtimulus mortis, ſi dulciſſimum mors ſomnum imitatur? Vbi detrimenta tentationum, ſi Deus facit ex tentatione prouentū? Vbi terror Carnificum, ſi pariunt pęnæ palmas, paſſiones gloriam, vincula libertatem? Sæuiat furor tyrannicus & barbaræ immanitatis oceanus lacrymarum ſanguiniſq; fluentis exuberet, iam ſanguis tingit purpuram, qua Chriſti ſeruus inſignitur in Regem; iam lacrymæ coaleſcunt in margaritas, quibus æternus

riſus redimitur, beataque capita coronantur. O verè diuitem in Miſericordia Deum, qui miſeriam omnem feliciter adeò ſubleuat? O ditiſſimam ſuis in plauſibus Miſericordiã, cuius in conſortium ſi Omnipotentia & Iuſtitia certatim plaudentes reuocentur, ſuaue adeò, adeòque ſonorum excitabitur plauſuum melos, vt raptus in extaſim animus ſolo poſſit venerari ſilentio Omnipotentiæ, Iuſtitiæ, & Miſericordiæ præconia, quæ in Incarnati Verbi obſequium & plauſum proludebam.

DE

DE EVCHARISTIA.

AMplissimam Abbreuiati Verbi magnificentiam in nocte Cœnæ Eucharisticæ splendidè relucentem prolusurus non aliundè peram exordium, quàm vndè Eucharistia ipsa duxit originem; ex nimia scilicet Diuini magnitudine Amoris, qui in opere creationis initia sortitus, in Incarnationis Mysterio incrementum adeptus, in Eucharistiæ Sacramento coronidem assecutus, Deum nobis expressit primò Auctorem nos eruentem ex nihilo, secundò Socium ad nos accedentem in carne, tertiò Cibum apud nos permanentem in mensa; primò suas nobis impertientem diuitias, secundò suas in nobis inuenientem

delicias, tertiò vtrumque perenniter coniungentem; primò beneficum, deindè propitium, poſtremò etiam familiarem: Ne tamen familiaritas contemptui aperiret aditum, arcanis quibuſdam omnipotētiæ quaſi conatibus admirationem maximam excitantibus familiaris nimiùm dilectionis obuiam iuit incommodis, coniunxitq; arte prorsùs ſingulari ea, quæ cohęrent difficillimè; portentorum videlicèt admirãdam, adorandamque maieſtatem cum frugali menſa, & vulgari apparatu conuiuij. Enimuerò buccella panis & lymphati vini poculo quid frugalius? Incarnato Numine, Dominico Corpore & Sanguine quid lautius? Vtriſq; ad ſummam venerationem iuxtà & domeſticam conſuetudinē quid accommodatius? quiduè di-

dignius quod in huiusce prolusionis argumentum assumatur? Vbi vt quæ magis theologica sunt primas theologicæ orationis paginas occupent, præmittam ea quæ diuinæ dilectionis maiestatem ac robur insinuant, in ea desiturus, quæ eiusdem suauitatem, & familiarem quamdam necessitudinem commendant, simulque ostendunt Diuinum Amorem cum Diuina Sapientia de elogio illo contendere, quòd fortis vnà sit & suauis, quòd omnia fortiter suauiterque disponat.

Neque hìc mihi labor vllus in exquirendis miraculis, quibus fortis Diuini Amoris dispositio comprobetur, quando ipsa etiam externa & ob oculos cuilibet posita rerum facies miraculis est, prodigijsque conspicua: ipsæ etenim sensibiles species sint licèt en-

titates & ex communi accidentis ratione valdè diminutæ, & ex propria panis ac vini conditione vulgares, & vtroque ex capite intellectu prorsùs, ac sensu destitutæ; ipsæ inquam sensibiles species mirificam consecratoriæ formæ vim sentiunt, propriam dediscendo infirmitatem ad per se standum erudiuntur, innata quamuis propensione reluctante negligunt substantiæ fulcimētum, altioris concursus suffultæ præsidio, dum sensum fallunt, intellectum confirmant; & augent gratiæ meritum, dum naturæ minuūt experimentū: Quantitas coęua materiæ remanet, materia pereunte, superstes, suoq; viduata subiecto gerit ipsa subiecti vicem, cæteras accidentales formas benignæ Parentis in modum fouendo, ac sustinendo, donec contrà natu-

tu-

turalis iura Philoſophię tranſitum de ſubiecto in ſubiectũ prohibentis alij ſe maritet materiæ, cui & propriam & totius accidentariæ familiæ ſuſtentationem, curamq; cõmittat. Sentiunt magis conſecratoriæ formę energiam Panis & Vini ſubſtantiæ, quæ ambæ non tantùm deſerunt amicam accidentium ſocietatem, verùm etiam ſola vrgente verborum efficacia abſque vlla oppugnatione, contrarij in nihilum abeunt & ſubiecti, & ſui; ne tamen videantur communi modo deficere, anihilatas ſe dici non ſinunt, ſed nouum inuehunt deſinẽdi genus per Tranſubſtantiationẽ. Non poſſum hìc obiter non improbare ſcrupulum, ſcandalumque hæreticorum hanc in vocem debacchantium & perperam ſibi blandientium de auctoritate Apoſtoli di-

centis *Profanas verborum nouitates deuita*, quaſi verò aut nouitas profana ſit in ter Sancto Eucharistiæ Sacramēto nouum verbum inducere, aut omnis nouitas abſolutè damnetur, adeòque piaculū fuerit Christo dicere *Mandatum nouum do vobis*; Piaculum fuerit Agno in Throno ſedenti clamare, *ecce noua facio omnia*; Piaculum reſonare in Eccleſia noua cātica, nouumque teſtamentum nuncupari: & ſi profana lubeat auctoritate profanos Auctores impetere, non ne latinæ linguæ Magiſter & Princeps teſtatur *nouis inuentis rebus licere noua inuenire vocabula?* Heu proteruum omninò furorem Sectariorum, qui tigris rabiem imitati, ſicuti iſta quoties irruere nequit in hominem, ſæuit in ſpolia; ità illi rebus ipſis & Sacris Myſterijs oppugnandis impares, in vo-

ca-

cabula tamquàm in extrinſeca Myſteriorum paludamenta virus ſuum effundunt, blaſphemias ſuas eructant. Verùm dum Aduerſarij vocis corticem mordent, rabidoq; feriunt dente, nos ad rei ſignificatæ medullam ſuauiùs deguſtandam, intimiùſq; penetrandam progredientes reuocemus panis & vini ſubſtãtias, quas in agone quodammodo, & ipſo licet proluſionis in limine vltimam agentes periodum reliquimus. His igitur ſubſtantijs in nihil ſui & ſubiecti abeuntibus Chriſti Corpus & Sanguis inaudita conuerſione ſuccedunt; Chriſtus ſcilicet in Empyreo iam glorioſus, ad Patris iam dextram conſtitutus, humanis adhùc ſubeſt imperijs, & qui peccatori gratiam negat (parcite ſi licẽtia plus quàm theologica loquor) non negat

obedientiam, capiturque propèmodum non muneribus, quibus Deos capi ſenſit olim antiquitas, ſed verbis etiam impio & ſacrilego ore prolatis; quod certè nulla priſca ætas docuit, nec noua lex traderet, niſi Fides animoſa firmaret, & intellectus dumtaxat in Fidei obſequium captiuus excogitare poteſt Deum vi verborum ſpeciebus alligari, & vinculo plùs quàm ſympathico adeò firmiter ijſdē hærere, vt ad ipſarū motū, tractionem, translationē, moueatur, trahatur, hùc atque illùc transferatur, malitque omnem ſpecierum ſortem ſubire, nec non etiam profanis, etiam fędis locis inferri ſe ſinat, potiùs quàm patiatur ab earum coniunctione diuortium.

Hiſce Sacramentalium ſpecierum prodigijs plus æquo de-

detineor, & Aſtronomorum in morem qui externam Cęli faciem contemplantes ad ea quæ intrà Cœlum ſunt non aſſurgunt, externis Euchariſticorum accidẽtium inuolucris occupatus, ad ea, quæ ſub ijſdem latent, indaganda non propero, & tamen res latent pulcriores: latet quippè Verbum, quo omnia manifeſtantur, & iure concomitantiæ ſeù identitatis cum Verbo latet Diuinæ Eſſentiæ Pelagus omnigenarũ perfectionum affluentiâ pleniſſimum, totiuſque Triadis in eodem eſſentiæ pelago abſorptæ ſpecialis quædam præſentia, & inexiſtentia ſingularis: latet quod immenſum eſt omniq; cæleſtium ſphærarum latitudine maius, ad anguſta Euchariſtici orbis ſpatia coarctatum, adeò vt habeat etiam paruus hominis mundus ſuũ
exi-

exiguum orbem, quem non Intelligentia vlla ſed Intelligentiarum Auctor inhabitet: latet quod æternum eſt, omnique anteacto ſæculo antiquius, in tēpore reproductū, & qui in Bethleem myſtica panis domo ſemel natus eſt, in Sacramento ſub vera panis ſpecie quotidiè renaſcitur, fitque panis Electorum, qui ſe paleis olim & ariſtis tamquàm frumenti granum immiſcuit: latet fons gratiæ & aquæ in vitam ęternam ſaliētis, ſimulque Amoris incendium gratiarum fonti, & ſpecierum niuibus amico fędere conſociatū, nec ampliùs gratia inuidet Naturę ſacram illam emphaſim admirationis *Numquid ingreſſus es theſauros niuis?* habent enim etiam Euchariſticę niues theſauros ſuos eò pretioſiores quò diuiniores: latet tenui obumbratum nu-

be-

becula ſplendidiſſimum iubar Diuini Solis, cuius fęlix præſagium antiqua ętas imperante Auguſto ſibi cōtigiſſe gloriatur, dum intrà coronam ſpicis triticeis intertextā Solem inſpexit mirabiliter coruſcantem, quem hac epigraphe decorans Paradinus *Hæc conſcia Numinis ætas* egregiè indicauit Myſterium: latet Sacrificium, in quo idem eſt Sacerdos & Victima; Conuiuiū, in quo idem eſt Cibus, Potus, & Conuiuator; Conuiuator qui menſas inſtruit opulentiſſimas ſine diſpendio Patrimonij, Potus qui inebriat ſine perturbatione rationis, Cibus qui nutrit ſine violatione ieiunij, Victima quæ immolatur etiamſi immortalis, Sacerdos qui regale gerit Sacerdotium etiamſi Serui formā indutus: Hoc Sacerdote nihil ſacratius, hac victima nihil nobi-

nobilius, hoc cibo nihil pretiosius, hoc potu nihil suauius, hoc Conuiuatore nihil munificentius, his omnibus nihil diuinius: & quid prohibet suspicari hùc collimasse Veteres illos, qui conuiuia diuinum quid redolere arbitrati hymnos Dijs Sacros inter pocula concinebant, & apparatus omni lautitiarũ genere opiparos Deorum cęnas nuncupabant iuxtà Horatianum illud

O noctes, cœnaque Deûm.

Quam certè suspicionem vehementiùs mouent & Scythæ, quibus iurare per epulas fuit summa religio, & Romani quos expressiùs credidisse adesse mensis Numina tradidit Ouidius Fast. 5.

Antè focos olim scãnis cõsidere lõgis
Mos erat, & Mensis credere adesse Deos.

Verùm siuè Catholicæ Religio-

gionis veritati neſciens præluſerit, ſiuè propriæ tantùm ſuperſtitionis vanitati deſipiens inſeruierit Veterum Infidelium Fides; noſtrum non minus conuiuium quam Numen præteritorum omniũ & ſuperat fidem, & memoriam extinguit, noſtriſque mentibus quacumque firmitate firmiùs hæret diuiniſſimam eſſe Euchariſticam cęnam, nec ſolum adeſſe Sacramẽtali Menſæ Deum, ſed eum etiam qui Sacramentalem ad menſam diſcumbit Diuino paſci Numine, imò in diuinum quidpiã conuerti, díuinoſque mores induere, ſi verum eſt, quod & experientia & ratione fretus docet Stagirites, ex his conſtare homines ex quibus nutriuntur, varioſque ciborum vſus ad varios mores apprimè conducere: & verò ſicuti deglutiendo epulas à dæmone ſup-

ſuppeditatas diuina abiecta imagine in dæmonis formam homo tranſierat, quidni ſumendo epulas à Deo paratas in quamdam poſſit Deitatis participationẽ reuocari? His igitur epulis famem quiſque expleat ſuam, animum diuinitatis capacem diuinis alimentis enutriat, & iniuncta in antiquæ comeſtionis pœnam gratiæ ieiunia nouæ menſæ frequentatione reſtauret.

Videbor fortaſsè aut Orator abſtemius, aut abſtemios alloquens Auditores, ſi in Sacri commendatione Conuiuij vlteriùs differam de potu caliceque diſſerere: Neque hìc vt arbitror poterit mihi diſertus ſermo deeſſe: Enimuerò

Fœcundì calices quem non fecere diſertum?

At quis calix Sacramentali fęcundior? Vbi vinum germinat

nat Virgines, & libidinis incitamentum fit antidotum puritatis? Vbi veritas ſubſtantialis deliteſcit, adeò vt fas ſit ſine tropo vllo hùc transferre laconiſmũ illũ *In Vino veritas?* Vbi qui vnico ſui Corporis ferculo dapum quarũcumque ſaporem vincit & pretiũ, vnico pariter ſui ſanguinis poculo liquoris cuiuſcumque virtutem ac ſuauitatem excedit? Vinorum varietas, & poculorum copia ebrietatis illicium eſt, & dum ad immodicam bibacitatem incitat, excitat iurgia & rixas, ſoluitq; ſtrictiores nodos charitatis: Quidni igitur Diuinus Paterfamilias calicis varietatem excluderet, & vnitate poculi ſtatuendum cum hominibus amicitiæ Sacramentum, ipſorumque cor vnum, & animam vnam præſignaret? Memini Catilinam vt Conciues ſuos

in

in Patriæ perniciem fęderatos confirmaret poculum humani ſanguinis vino permixti circumtuliſſe; at quàm ſacratiùs inito pro Patria in hoſtis tartarei perniciem homines inter & Deum fędere, vt humanam roboret Fidem proprium ſanguinem vini ſpeciebus delibutum Chriſtus circumfert? Memini apud Ethnicos per Idolorũ templa cruorem plurimum effluxiſſe adeò vt videretur tunc religioſius Sacrificium offerri, quando ſceleratiore carnificina religio violabatur; at nunc vno immaculati Agni ſanguine calices redundant, & eò puriùs Religionis candor inclareſcit, quò vberiùs tali ſanguine purpuraſcit. Memini Deum vltionum ſuas aliquādo ſagittas ſanguine inebriaſſe; ſed verſis iam vicibus factus Deus dilectionis proprio hu-

humanas animas ſanguine innocenter inebriat. Importunum hìc meis auribus obſtrepit murmur obmuſſitantium Sectariorum, qui huiuſce innocentis ebrietatis deſideriũ, & Dominici Sanguinis ſitim ſimulantes ſub vtraque ſpecie communionē affectant, Epheſini Concilij decretum, ritumque Eccleſiæ vnicam panis ſpeciem miniſtrantis execrantur, & impudenter dolent ſe priuari integritate conuiuij, ſe ad mutilam ac abſtemiam menſam accumbere: Quaſi verò anticipatam hæ iniquæ querimonię repulſam non tulerint ex Ioanne, qui contrà ſoluentes Chriſti Corpus à ſanguine, & ſub duplici Sacramento diuiſim collocantes dilucidè promulgauit *omnem Spiritum qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſſe*: Quaſi verò ſpiritualis ſitis adeò cum corpo-

rali conueniat, vt non magis iſta potum, quam illa ſpeciem potus requirat; nec Oraculū illud *Beati qui eſuriunt & ſitiunt Iuſtitiam* luculentè ſuadeat eā-dem ſacramentalem gratiam eſſe ſpiritualiter ſitiētibus potum æquè ac ſpiritualiter eſurientibus cibum: Quaſi tandem poſſit nō eſſe totum quaslibet in ſpecie cōuiuium, dum totus eſt qualibet ſub ſpecie Chriſtus, imò totus ſub modiciſſimo etiam cuiuslibet ſpeciei fragmento. Diuidas licèt ſemel & iterum ſenſibilem illam accidentium compagem; ſepares licèt in minutiores & minutiores particulas, in minores & minores guttulas materiam conſecratam; manet qualibet in diuiſione Chriſtus indiuiſus, manet totum qualibet in parte Sacramentum, manet integrum in qualibet ſacrati ferculi portio-

tione conuiuium. O inauditā dotem cibi qui etiam ſitim extinguit! ò ſingularem prærogatiuam potus qui etiam eſuriem explet! ò vtriuſque admirandam nimium conditionem, dum vterque ſatietatem affert non faſtidium; vterque eò deſideratur auidiùs quò frequentiùs deguſtatur. Deficient me & calami & paginæ in recenſendis & accuratiùs deſcribendis prodigijs quorum & numero & pondere ſe in Euchariſtiæ munere fortē potentemque Diuinus Amor oſtendit; ſat ſit nonnulla delibaſſe, & tamquàm in prodigiorum omnium maximo aliquantulùm immoremur in eo, quod ſe ſimul familiarem & domeſticū Diuinus Amor exhibeat.

Neque nobis valdè recedēdum eſt ab ijs quæ hucuſque præluſimus, vt ſcopum attinga-

gamus, eadem enim prærogatiua conuiuij quæ conduxit plurimùm ad comprobandã fortem, potentemq; vim Diuini Amoris, confert non minùs ad ſuadendam familiarẽ & domeſticam eiuſdem ſuauitatem. Certè non niſi beneuolentia dulciore coniunctos in Commenſales adhiberi omnium tùm locorum tùm temporum conſuetudo teſtatur: Hinc tamquàm argumentum familiaris cuiuſdã ad Magnates acceſſus, habitus ſemper eſt plurimi honor aſſidendi ad menſam Principum, & quemadmodum monuit Tertullianus *qui cum Rege cœnant videntur omnibus eminere*; hinc Miphiboſeth promiſſam ſibi à Dauide Menſam Regiam maximi beneficij loco computauit; hinc non diſſimili de cauſa Veſpaſianus Principi gratias egit in Senatu quampluri-

rimas; hinc prædiues quidam Nomenclatori ducenta numerauit sestertia, vt vno ad mensam Caligulæ discubitu dignaretur; Hinc fortè etiam, quià familiaritas solet inter paucos exerceri, esse cõsueuit exiguus numerus Conuiuarũ; & antiquæ Mensæ non nisi septem Confessores admittebant iuxtà vulgatum illud *Septem conuiuium, Nouem conuitium.* Nescit tamen hoc præiudiciũ Mensa Eucharistica, quam (vt inquit Chrysostomus) *Non sinit esse Dominicam, qui non sinit esse communem*; (addam ego) & perennem, tùm cuilibet scilicet, tùm semper paratam; nullus enim homo est aut tàm abiectus aut tàm scelestus, cui conuiuium cæleste non pateat: nulla hora est aut tàm importuna aut tàm profana, in qua Sacra Mensa apparatum suũ non proferat. Cæteræ dapes

vel matutinæ ſunt, vel veſpertinæ; Dapes Euchariſticæ & matutinas & veſpertinas ſimul horas occupant; Cæteræ menſæ Nobiles Viros à Plebeis, ſeruos à Dominis, diuites à mendicis ſecernunt; Euchariſtica menſa neſcit Perſonarum diſcrimina, recipit vna omnes, vno omnes ferculo reficit, vno omnes poculo recreat. Quis ergò miretur impoſterum aut Alexādrum, qui ad nouem vſque millia Conuiuarum ſimul excepit, aut Aſſuerum qui ad centum octoginta vſque dies ſplendidiſſimam conuiuij ſolennitatem protraxit? quàm exiguus eſt ille Conuiuarum numerus, quàm breue eſt iſtud dierum ſpatium, ſi ad innumeram Communicantium multitudinem, ſi ad iugem Euchariſticæ Communionis perennitatē perpetuitatēq; conferantur.

Hęc

Hæc perpetuitas ad aliam me perpetuitatem inuitat, apparatus ſcilicet perpetui conuiuij allicit me ad perpendendendum beneficium perpetuę prę ſentiæ Chriſti Conuiuatoris, qua fortè nihil eſt, quod magis hìc quadret, ſicuti nihil magis familiarem, ſuauemq; Amorem fouet, quàm mutua Amantiū propinquitas: Vndè Amici ſtrictiores ad indicandum quàm ægrè abeſſe inuicē poſſint, mutuam inſeparabilitatem lemmatibus illis ſignificant *Aut morte, aut numquàm. Vitæ mortiſque comes. Quis ſeparabit?* At in commendationem Diuini Amoris liceat mihi pro re noſtra auguſtiora hæc lemmata inſcribere. *Nec morte, nec vnquàm. Vincti pereunt, ſed vincla perennant. Neque Mors ſeparabit.* Et verò quomodo mors ſeparet auferatque præſentiam illam, quam ad eluden-

denda incommoda absentiæ & discessus ex morte imminẽtis suis Christus dilectis affixit. Neque est quod latens tantæ præsentiæ priuilegium hæretica prauitas inficiari cõtendat: Etenim, vt omittam insigniora veritatis adeò celebris argumenta, quibus Sectarios oppugnare & expugnare Scholasticorũ, & Controuersistarum delicię sunt: Non ne ignis, qui ardens in vepribus Moysi olim affulsit egregio symbolo satis expressit incendium Diuini Amoris inter densiores hęresum sentes rutilantis illustriùs pręsentiamque suam clariùs demonstrantis? Verùm Amicorum pręsentia contentus familiaris & domesticus amor non est, etiam ęqualitatem, etiam intimam quamdam vnionem, imò vnitatem efflagitat, quod quidem arcano prodigio in Eu-

Euchariſtia peractum admirare. Viuit Pater & Verbum Natura idem, perſonalitate diſtinctum, & qui Euchariſticum ſumit edulium ad Diuinitatis participationem euectus gratię priuilegio fit vnius eiuſdemque Naturę cum Verbo, cum quo retinet Perſonę diſtinctionem; idque ne ſuprà omnem fidem eſſe videatur confirmatum accipe ineluctabili teſtimonio Incarnatę Sapientię ſic Patrem alloquentis *Ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis, vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus*. Hoc fretus Oraculo auſim obijcere Comprehenſoribus quod Dei quidem pręſentia fruantur, at non potiantur vnione adeò mirifica, & modo ſolùm intelligibili conſequantur poſſeſſionem illam ſummi boni, quę modo penè dixerim phyſico & ſenſibili Viatoribus in

Sacramento conceditur: Ausim etiam arguere Cyprianũ tamquàm auarũ nimis & parcum Eucharistię commendatorem, dum ipsam nuncupat *portionem vitæ æternæ*; Enimuerò si tota vita ęterna est Deum cognoscere iuxtà illud *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum*, quomodo portio vitę ęternę, & non potiùs plùs quàm tota vita ęterna sit Deo pasci, Deum induere, Deum mente, Deum corde, Deum corpore, Deum sensibus, Deũ potentijs omnibus possidere? Proh familiaris Numinis, proh domesticę Deitatis mirifica nimium argumẽta! proh fercula & corpori & animo recreandis aptissima! Et si teste Augustino *Deipara Virgo beatior fuit concipiendo mente quàm ventre*, fortè etiam aliqua poterit esse ratione beatius Eucharisticas epulas haurire men-

mente quàm gutture: & si *cognouerunt Discipuli Dominum in fractione panis*, non diffidendum Theologię Candidatis, quin in Mystica Sacri Panis fractione Deus innotescat: Neq; aliquem terreat antiquum illud, *Petierunt Paruuli panem, & non erat qui frangeret*; huic enim incommodo consuluit Angelicus Aquinas, qui subtilissimi ingenij sui acie, & doctissimi calami acumine feliciter diuisum, fractum, contritumque panem suppeditat, omnigenam ipsius suauitatem, vim omnem & virtutem, effectus omnes & pręrogatiuas, emolumentum omne & oblectamentum manifestat. Sub Angelici igitur Doctoris & Ductoris auspicio studiosis mentibus Angelicam ad mensam assidentibus tamquàm minister subseruio. Faxit omnipotens, vt intellectuale hoc my-

ſtica in menſa miniſterium ſit mihi miniſtranti propitium & ſalutare, vtile ac iucundum inuitatis, gratum & acceptum ſummo Patrifamilias inuitanti, cui etiam ſit bono omine dicatum atq; deuotum, quod ad pręlibandas quaſi & prægustandas tanti epuli delicias proludebam.

DE POENITENTIA.

COrpoream molem, & formam ſpiritalem, naturas ſcilicet maximè diſſitas maximèque diuerſas familiari in ſe homo ſocietate coniungens gerit in fictili corporis plaſmate immortalis animæ opus æternũ; & licèt ſumendo à ſenſibus occaſionem peccandi, rationiſque conſenſu peccatũ conſummando, vtramque ſui partem lethaliter læſerit, ignorantiæ alteram, alteram concupiſcentiæ vulnere ſauciando: Non defuit tamen Clemẽtiſſimus Reparator qui inuiſibilem Deitatem, naturamque viſibilem hypoſtatico in ſe vinculo copulans rebus ſenſibilibus, quibus homo innocens fuerat incitatus ad cul-

pam, hominem Reum excitaret ad gratiam, & componens ex materiali ſigno, ac ſpirituali dono peccati remedium, ſacra ſignificatione ſenſui, gratuita ſanctificatione ſpiritui medelam afferret ſalutarem: Sicque inuiſibilia viſibilibus in homine, & hominis Redemptore; in peccato, & peccati remedio mirifica temperatione colligantur: Mitto reliqua, & de Sacramento Pœnitentiæ potiſſimo peccati remedio proluſurus felicem in ipſo inuiſibilis gratiæ cum re viſibili, internæ ſcilicet iuſtificationis cum externa culparum confeſſione, & abſolutione coniunctionem examine peculiari percurro. Quia verò diuinæ virtutis ſub tegumento rerum ſenſibilium ſecretiùs per gratiam operantis portenta altiorem petunt indaginem, verſabor maximè

circà

circà res ſenſibiles, nimirum circà Sacramentalis Confeſſionis & Abſolutionis prærogatiuas, arbitratus ignobiliorem Sacramēti partem fore ignobili Prolocutori congruentiſſimum proloquendi argumentum; eiuſdem verò Sacramenti partem ſacratiorem æquè ac nobiliorem in Gratia relucentem fore materiem ſublimi veſtrarum meditatione mentium, quam infirma meæ dictionis imbecillitate digniorem.

Antiquiſſima eſt, & naſcenti coęua mundo Ars excuſandi peccata, cuius prima rudimenta primi Parentes tradidere, quando vterque lapſus in culpam, culpam vterque excuſationis inuolucro contexit, Adamo in lenocinium Mulieris, Muliere in calliditatem Serpentis crimen ſuum regerente. Ex primorū Paren-

tum magiſterio in totam facilè Poſteritatem eiuſdẽ Artis ſtudium irrepſit, & varij varia exindè dogmata deriuarunt: Sunt qui crediderint Deos ipſos obnoxios eſſe flagitijs, vt ſuorum excuſationem ſcelerum de Cęlo repeterent, fęditateſque ſuas Numinum patrocinio excuſarẽt non modo, ſed & conſecrarent: Sunt qui Tullianũ illud, *O tempora, O mores*, libentiſſimè recolentes ferrea ſæcula, peſſima tempora criminentur, vt ferreos peſſimoſq; mores ſæculorum ac temporum infamia redimant: Sunt qui deprauatam Aulæ Vrbiſq; cauſentur conſuetudinem, vt hominum vitia transferant in conditionem locorum, eaque hoſpitij faciant eſſe, non Hoſpitum: Sunt qui fatum, ſunt qui ſydera, ſunt qui aeris temperiem, ſunt qui corporis conſti-

ſtitutionem, ſunt qui exempla Maiorum, ſunt qui illicia Sodalium, ſunt qui quamlibet peccati occaſionem in peccati excuſationem conuertant, nec vllus eſt qui ſolertia tota, totiſque conatibus non inſudet, vt euadat excuſationum concinnator eximius: Quaſi verò cuiuſcumq; peccati expiatio in ipſius excuſatione conſiſtat, & ars accuſandi fatendiq; propria crimina non ſit melior longè & plauſibilior arte obtegendi eadem ac excuſandi. Iſta Adamum Pręceptorem, & Anteſignanum ſortita ſoboles eſt præuaricationis, nouerca virtutis, aſylum criminis, ſępè culpam geminat mendacio, quandoque etiam fędat ſacrilegio: Illa Chriſto gaudens Auctore comes eſt reſipiſcentiæ, prænuntia gratiæ, mala deſtruit culpæ, mala minuit pœnæ, conſcien-

ſcientiæ maculas diluit & delet Sacramento: Iam conijcitis Auditores ad eam vos deductos accuſationem criminum, & confeſſionem, quam ſacramẽtalem vocant, quam Chriſtus Sacramentorum Inſtitutor indixit, quam Eccleſia tamquàm Sacramenti materiem agnoſcit, quam ego in præſentis proluſionis partem aſſumpſi, cuius arcana vis lethale peccati virus in ſalutis antidotum, & diuinę indignationis incitamenta in condonationis blandimenta couertit: Eſt quippè Sacramentalis Cõfeſſio iuſtificationis exordium, gratiæ monumentum, gloriæ præludium, prædeſtinationis indicium, diuinæ adoptionis chirographum, & ſi vt olim affectus animi cenſerentur Artifices Numinum, non in timore de quo ſcripſit Auctor non ignobilis

Quip-

Quippè Deum genitore metu mens cæca creauit.
& longè anteà Arbiter.
Primus in orbe Deos fecit timor.
non in timore inquam sacrã efformãdorum Numinum artem venerarer, sed in dolore seù in dolorosa culparum cõfessione, qua in Dei filios adoptamur, & qui tot idolis quot peccatis sacrilegè seruiebamus, vni verò Numini deuota Religione restituimur ipsique in eiusdem naturæ cõsortium gratiæ infusione copulamur: meritò propterea sacris ex paginis nobis innuitur *confusio adducens gloriam & gratiam*, meritò in psalmis confessioni decor adiũgitur, meritò Diuini Vatis Oraculũ Iustum in principio sui accusatorem esse pronunciat: Meritò Apostolus magnifica illa erumpit in verba *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.*
In

In æternæ enim salutis summo negotio nulla quid obest testium calumnia, nulla quid prodest eorumdem indulgentia, proprij cuique cordis testimonium Fidem omnem superat, & vt in adagium transijt: *Conscientia mille testes:* Accuset te licèt concors plurium murmur, accuset mala fama, accuset vulgi rumor; innocens es, si propria te conscientia non accuset; & quod mirandum magis, tua te nocentem conclamãte conscientia, omnia reparas tuæ noxæ detrimenta, si accusationi conscientiæ in Sacramentali Pœnitentiæ Foro oris confessionem adijcias, tuiq; clamorem peccati propria accusatione præuenias; nec certè Abelis fraterno scelere trucidati sanguis contrà Caim de terra clamasset, nisi Caim ipse siluisset: tergit Deus tuas sor-

des

des ſi detegis, ignoſcit tuis culpis ſi agnoſcis, deſtruit tua mala ſi aſtruis, te abſoluit ſi te condemnas, & reatum fatendo quo vinciris, reatum tollis quem fateris: Si peccatum error eſt, Sacramentalis Confeſſio corrigit, ſi lapſus erigit, ſi irrectitudo dirigit: Si imbecillitas, ſi ægritudo, ſi mors; roborat, curat, viuificat: Si fumus eſt diſſipat, ſi flamma extinguit, ſi gelu diſſoluit, ſi torrens exſiccat: Si procella, ſi fulmen, ſi fulgur, ſi telum; ſedat, auertit, arcet, retundit: Si larua eſt deridet, ſi monſtrum proſternit, ſi hydra obtruncat: Si ligamen eſt dirumpit, ſi captiuitas redimit, ſi hoſtis expugnat. Ex aduerſo confeſſio ipſa ſeù accuſatio lumen eſt ſi peccatum offuſcat, lauacrum ſi inficit, refrigerium ſi vrit: præſidium eſt ſi minatur, aſylum ſi inſe-

qui-

quitur, propugnaculum ſi aggreditur: vmbraculum eſt ſi ardores, clypeus ſi iacula vibrat: Eſt litus, eſt tabula, eſt portus; ſi fluctus, ſi naufragia, ſi tempeſtates excitat: Patrocinium eſt, ſi accuſat, ſolatiũ ſi affligit, ſubſidium ſi opprimit: Breuiter, Confeſſio ſpeculum eſt inuerſam imò euerſam ſemper peccati effigiem referens imaginemq; ei prorſùs oppoſitam repræſentans: O Confeſſionis commoda & munera numquàm ſatis nec recenſenda nec commendanda: O vtilis nimiùm, nimiùmque proficua Artis accuſatoriæ præſtantia; at vna ſimul ò Ars eadem non minùs facilis ac familiaris; non diuturno annorum ſpatio, non improbo ſtudij labore, non repetitis ad Cleanthis lucernam vigilijs, non ingenti auri copia comparatur; non inquiritur

aut

aut apud Indorũ Gymnoſophiſtas, aut apud Perſarum Magos, aut apud Gallorum Druidas, aut percurrẽdo Regiones inhoſpitas, aut inſigniores conſulendo Academias, aut Bibliothecas celebriores euoluendo; Ipſi ſuſcipiendæ idonea eſt quælibet ætas, quælibet indoles, quælibet Regio, quælibet aut ſexus aut Perſonæ conditio, quælibet aut genij aut ingenij temperies; eidem tradendæ præſto ſunt tot Profeſſores quot Sacerdotes; tot lycæa quot templa, tot exedrę quot ſubſellia Pœnitentiæ: Si aut tempori aut memoriæ diffidens, gaudes priuilegio breuitatis, habes vnica in voce totius diſciplinæ compendium, nec contractior vllus excogitari poteſt laconiſmus, diuina ipſa Sapientia ſtylo ſuccinctiore non vtitur, & hæc licèt vno

Ver-

Verbo ſe totam explicet, vno etiam humana conſcientia verbo ſe totam exponit. Breue illud *Peccaui* totius Artis ſummam complectitur, & ſcientiam ſalutis luculentiſſimè poſſides, ſi illud vnum rectè pronuncies, ideſt ſi dolenter, ſi verecundè, ſi ſecretò: Quid autem vel facile vel cōgruum magis, quàm de proprio malo eoque grauiſſimo dolēter loqui, quàm proprias fęditates exprimere verecundè, quàm penitiores æquè ac ſceleratiores mentis conceptiones ſubmiſſa ad alienas aures voce proferre: Quid foret eo inſolentius Reo, ac damnabilius, ſuas qui culpas hilaris decantaret, & perfrictæ frontis audacia non tàm antiquas referre quàm nouas inferre iniurias videretur. Quid optandum magis quàm infanda prorsùs, omnique ob-

ſcu-

ſcuriora caligine ſcelera ſecretiore includi cuſtodia, ſigilloq; inuiolabili conſignari: Inſcrutabilia, & diuinis tantùm obtutibus non imperuia cordis arcana quis exponeret? niſi in retruſis alterius cordis penetralibus repoſita veritas eodem inſcrutabilitatis priuilegio potiretur: Quis propriam famam occultiorũ manifeſtatione criminũ proderet & prodigeret? niſi ſigillum perpetuò duraturum aditum omnem infamiæ præcluderet: Quis feneſtram quaſi Socraticam proprio aperiret in pectore? niſi oſtium illud circumſtantiæ diuina lege religioſiſſimè appoſitum, & perennis ſilentij claue concluſũ alieno in ore reperiret. Occurrunt hìc mihi, non ſine admiratione, diuini & ſacri ab humano & profano foro pręclara diſcrimina. In iſto palàm

làm, & contentiosè res agitur, aliena teſtimonia ſunt iudicij prima præludia, tormenta ſunt eiuſdem firmiora adminicula, & dum cruciatibus veritas extorquetur ſæpè ſæpiùs mendaci ac falſa ſui accuſatione contumax cruciatuum tortura redimitur: Summa innocentia eſt, ſe nocentem non fateri, & Rei aut ſilẽtium aut mendacium præſtat potiſſimum malæ cauſæ patrocinium præſidiumque maximum impunè peccandi: In illo ſilet omnis contentio, deeſt omnis teſtium apparatus, abeſt omnis tortura, ſolum Reum inter & Iudicem res tota verſatur; confeſſionem nulla præit ſeuera inquiſitio, nulla comitatur iniqua ſententia, nulla ſequitur turpis infamia; imò patrati accuſatione criminis infamiæ character eraditur, culpæ macula

la abstergitur, & pęnæ reatus aut dimittitur aut diminuitur. At hæc, sint licėt grauia & ingentia admirationis argumenta, sunt tamen adhùc leuia & exigua Sacramentalis Confessionis, propriæq; accusationis emolumenta, nisi Sacerdotalis absolutionis, quæ est tùm Sacramenti Pœnitentiæ tùm huiusce prolusionis pars altera, beneficium & priuilegium accedat.

Iure optimo nonnemo gratiarum domicilium os humanū nuncupauit, vtpotė quod & loci sublimitate & nobilitate muneris cæteris hominū membris plurimùm antecellit: est vestibulum animi, interpres mentis, nuntius cordis, organum rationis, oraculum veritatis; sermonis opifex, artifex eloquentiæ, rerum omnium assertor, legum omnium promulgator, socia-

lis

lis vitæ comitium, humanorum morum censor, diuinarum laudum præco: Verùm hæc omnia oris elogia aliaq; etiam splendidiora vilescunt, splendoremque perstringunt suum, si Sacerdotali in ore consideres potestatem diuinitùs inditam verbis absolutionis, queis lingua ad agendum non minùs quàm ad dicendū erudita exequitur quod loquitur, præstat quod significat, & quæcumque ligat aut soluit in terris eamdem facit sortiri legem in Cęlis, adeò vt possit Sacerdos sine vlla temeritatis audaciæuè nota ponere in Cęlum os suum, & vltrà totius sublunaris orbis limites suæ vocis energiam, suæ iura potestatis vrgere: Nulla huic potestati peccatorum grauitas, multitudo nulla resistit, nulla officit Ministri imbecillitas, nulla obest

loci

loci temporiſuè cõditio: quò exercetur frequẽtiùs, eò operatur efficaciùs, & quò magis ipſius virtus exeritur, eò minùs exhauritur; omni ſiuè ſuperſtitionis ſiuè fabulæ ſuſpicione procul æmulatur & ſuperat artem illam, quæ ad Medicorum dedecus quorumdã aut inſcriptione characterũ aut verborum prolatione delet cicatrices, ſanat vulnera, maliſque medetur etiam extremis, etiam contrà omnem medicæ facultatis opem & operam contumacibus; iſta inquam feliciter æmulatur & ſuperat, dùm nobiliorem hominis partem mille vexatam plagis, mille cruciatam morbis curat, roborat, reſtaurat, & quot collapſos animos ad firmiùs ſtandum erigit, tot renouat Antæos, validiores ex caſu vires, maiuſque ex lapſu robur acquirentes. Ex quo in

fabulas incidimus alia hìc plura (ſi plura liceat ex profanis in ſacra, ex fabuloſis in vera transferre) ingenioſa Antiquitatis commenta quadrarēt; Quadraret quod Gallicano Herculi aureæ à lingua catenæ penderent, quibus ingentem hominum multitudinem colligauerit; Quadraret quod efficaci vocis aut energia aut melodia attracti lapides in Vrbis formam ſponte confluxerint, quandoquidem linguæ Sacerdotum habent & ligandi virtutem, & efficaciam trahendi etiam lapidea induratorum hominum corda ad ſupernam illam Ciuitatem *quæ celſa de viuentibus ſaxis ad Aſtra tollitur*, conſtruendam: Quadraret quod ad facundiæ ſuauitatem vel attonita ſteterint flumina, vel excitatæ aduolauerint rupes, vel cicuratæ humanitatem feræ didicerint.

rint. At quadrat magis omnia fabularū commenta, omnia Veterum monumenta negligere, & verba ſacramentalis abſolutionis, ſi in hoc veſtra mihi ſuffragetur auctoritas, audacter compellare quaſi omnipotētem laconiſmum, quo clauſæ Empyrei valuæ omni licèt ære ſolidiores cōminuuntur, vecteſque etiam adamantini confringuntur, & cęleſtis Ieruſalem violentiam pati ſolita leui ſono vocis expugnatur feliciùs, quàm vehementi tubarum clangore dirutis conciderit męnibus Iericho: Omnipotentem laconiſmum, quo Corpus Chriſti myſticum è terris quodammodo in Cęlum euehitur, ſicuti Corpus Chriſti verum laconiſmo conſecrationis è Cęlis in terras deducitur, idque non precario & ſuppliciter loquentis in morem, ſed

(ſuſtinete duritiem vocabuli) decretoriè, & ad modum imperantis; adeò vt commune iam dici poſſit & familiare illud inſolitæ olim admirationis argumentum *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* humana iam vox diuinæ ęmulatur vocis molimina, & ſicuti iſta vno illo diſſyllabo *Fiat*, grandiorē ex nihilo naturæ mundum vocauit & condidit, ità illa vno hoc triſyllabo, *Abſoluo*, paruum ex nihilo gratiæ mundum reuocat & reſtaurat. Quin etiam, quod ſtuporem omnem excedit, hocce Verbum Sacerdotis ore prolatū imitatur abbreuiati Verbi ex æterni ſinu Patris, Virginiſque Deiparæ vtero prodeuntis portenta, vtrumque etenim vim habet ad quælibet peccata delenda potentiſſimam, & quod Chriſtus pręſtitit ex opere operantis, id

ipſum

ipſum eius Miniſter præſtat ex opere, vt vocant, operato; eodem ex ęrario vterq; erogat pretiū, quo noſtra exoluuntur debita; eodem ex theſauro vterque eruit opes, quibus egeſtas noſtra ditatur; eodem ex fonte vterque haurit aquas, quibus ſordes noſtrę diluuntur; neque ad huriendas has aquas, ad eruendas has opes, ad erogandum illud pretiū, ingenti apparatu opus eſt, ſed ſolo miniſterio illius triſyllabi *Abſoluo*. Et hìc non poſſum non iterare quod prę-miſeram, os humanum gratiarum domiciliū meritò nominari, gratiarum vtique domicilium ampliſſimum, dum vnico etiã verbo fundit gratię aquas vberrimas, pretium ſummũ, diuitias inexhauſtas. Non poſſum hic etiam, ſaltē leuiter ac obiter non commendare tamquàm optimum

dicendi genus contractã succintamque orationem, dum vnica eaque breui periodo, imò etiam vnico trisyllabo, vnico verbo, facundia & fęcunditas tanta quasi sub exiguo cortice nucleus ingens concluditur: Et verò vnitę pręrogatiua virtutis fortius est quidquid magis constringitur, non ne studet tùm Ars tùm Natura compendio? non ne vtraq; pręcellit in paruis? non ne vtraque res pretiosiores esse gaudet angustiores? non ne veritas incedit nuda, refugiens longa verborũ textura superuestiri? Naturę igitur, Artis, & Veritatis documentis proficit, legibusq; obtemperat quisquis compẽdiariè, quisquis succintè loquitur, quisquis eloquentia vtitur rebus quàm vocibus opulentiore. Nõ possum tandem non acriter eos excipere, qui

col-

collocãtes in gratiarum hoſpitio officinam ęrumnarum, attribuunt linguę plurimam Reiqublicę humanę perniciē, & in illam tamquàm vel in Magiſtram, vel in Miniſtram regerunt iocos, nugas, fabellas; blaſphemias, calumnias, irriſiones; mendacia, iurgia, diſſidia; pluries infracta religioſiora ſecreta, pluries violata ſolemniora promiſſa, pluries peierata diuiniora teſtimonia; adulandi, excuſandi, contendendi peſſimas artes; & omnigenam penè dixerim malorum encyclopediã, ſcelerumque deplorandã vniuerſitatem. Quidni etenim? ſiuè meritò, ſiuè immeritò tot probris lingua impetatur, ſuperfluit hiſce iaculis clypeum vllum obijcere, aut mutuatis ſubſidijs ſuos in hoſtes linguã armare; aſſueta ipſa facundo aliena iura patrocinio defen-

dere,

dere, fulcimentis nõ eget alienis, vt ius ſuſtineat ſuum, vno ipſa verbo pro ſuę cauſę ęquitate, pro ſuę famę integritate perorat, dum vno abſolutionẽ verbo pronuncians omnia non ſolum oris, quę ipſius ſunt propria; verùm etiam cordis & operis, quę ſunt ei velut aliena mala, & damna extranea, abundè cõpenſat. Eximiam hanc ad peccatorum detrimenta inſtauranda, gratięque dona clargienda linguę virtutem myſticè commendauit Diuinus Spiritus, dum humanę reparationis in limine ſua copioſiùs atque ſoleniùs chariſmata profuſurus diſpertitas ſe in linguas effudit, quas prę ſeferendo igneas fortaſsè docuit debere Sacerdotum linguas igneſcere, verbis ſcilicet igneis culparum hydras coercere, & ardorem chari-

tatis

tatis pręcordia inflammantis, fulgoremq; ſcientię mentem illuſtrantis foràs deriuare. O vtinam hac flamma, hac luce ardeant & reſplendeant quicumque ferunt in Pęnitentię foro iudicia, & iura decernunt; quicumque exercent linguę ad ſoluendum & ligandum verſatilis ſacra miniſteria. Sibi ipſis conſulant, ne ſe ipſos ligēt dum alios ſoluunt; ne propria morte alienam vitam, propriaque captiuitate alienam redimant libertatem; & ſicuti metuebat olim Apoſtolus, ne reprobus fieret alijs prędicando, ità metuant ipſi ne ſibi euadant noxij alienas noxas dimittendo, ſitiantque aquas gratię quas alijs largè propinant. Sunt cęleſtes Medici, ſunt Sacri Iudices, ſunt pacis Mediatores, nouerint medelā proprijs parare morbis, nouerint proprię dirime-

re conſcientię diſſidia, nouerint propria cum Deo ſancire fœdera. Meminerint labia Sacerdotis debere ſcientiam cuſtodire, clauem poteſtatis ſine claue ſcientię ſępiùs fore in conſcientię perniciem, & Sacerdotem nec ſatis partes implere ſuas, nec ſatis ſuo reſpondere nomini, niſi, dum ſacra dat, ſacra etiam doceat; cum enim omnis peccans ſit ignorans, omniſque culpa & pręambulam & pediſſequam habeat ignorantiam, non benè peccati labes detergitur, niſi etiam ignorantię caligo diſcutiatur, nec benè emundatur affectus, niſi intellectus proerudiatur. Libenter iſta proſequerer, & fortè etiam vtiliter, at eſſet id auſpicalis proloquij fines pretergredi, & ſacrum agere Oratorem magis quàm Proluſorem Scholaſticum. Dimitto igitur Cō-

feſ-

fessarios, ne mei muneris, dimitto etiam Scholasticos, ne consuetę breuitatis metas excedam, apud neutros verò excusatum me volo, quia nec excusationibus fido, nec accusationes reformido, qui illarum arte improbata istarum protuli elogia & enarrau emolumenta; si quid tame peccaui, facilè mihi pollice condonationem & venian ex beneficio Absolutionis cuius prodigia & pręconi proludebam.

FINIS.